



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

II. Pars Meditationum, A Dominica Septuagesimæ vsque ad Pascha.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)



## SECUNDA PARS

MEDITATIO-  
NVM.A DOMINICA SEPTU-  
agesima, vsque ad Pascha.

*De motiuis Contritionis, & myste-  
rijs Dominicæ passionis.*



VM Sancta Mater  
Ecclesia, à Septua-  
gesima vsque ad Pa-  
scha, cantica lætitiæ  
suspendens, filios  
suos ad luctum, &  
pœnitentiam de cõ-  
missis toto anno,

vel vita, quæ ultra septuaginta annos  
vix durat, agendam, atque ad Domi-  
nicam passionem piè recolendam in-  
uitet, consultum erit hoc lugubri tem-  
pore eas assumere meditationes, qui-  
bus ad vtrumque impigrè præstandum

extimulemur. Cuiusmodi sunt sequentes de varijs motiuis contritionis, à Septuagesima vsque ad Quinquagesimam, indeque vsque ad Pascha, de mysterijs Dominicæ passionis in hac Secunda parte assignatæ, quarum, vt & præcedentium, multæ prolixiores, nonnullæ breuiiores, omnes piorum discursuum & affectuum feraces.

### Dominica Septuagesima.

Heb-  
dom 70.  
1. Medi-  
tatio.

De operarijs conductis. Matth. 20.

I. **S**upremus Paterfamiliâs, conditor omnium Deus, qui regit omnes, quos condidit in toto mundo, sicut subiectos Dominus in domo, ad omnes & singulos, maximè Electos, peculiari prouidentiâ attendendo, instar patrisfamiliâs diuersis diei horis conducentis operarios ad excolendam vineam, vt ab initio mundi conditi diuersis eiusdem ætatibus vocauit operarios ad vineam Ecclesię suę plantandam & propagandam, ad suam proximorumque salutem promouendam, quosdam manç, i iuxta D. Greg primâ mundi ætate, ab Adam, vsque ad Noe: in Euang. alios horâ tertiâ i. secunda mundi ætate, à Noe vsque ad Abraham: alios horâ

râ sexta. i. tertiâ mundi ætate, ab Abraham vsque ad Moysen: alios horâ nonâ. i. quartâ mundi ætate, à Moysse, vsq; ad aduentum Christi: demum vndecima horâ. i. quinta mundi ætate, ab aduentu Domini vsque ad finem mundi: ita etiam diuersis humanæ vitæ ætatibus fideles Electosq; suos hucusq; vocauit, ac etiamnum vocat, ad veram fidem amplectendam, ad statum religiosum aliumuè pium eligendum, ad studium eximie perfectionis in se alijsq; promouendæ arripiendum, quosdam quidem à primo vsu rationis, seu in pueritiâ, alios verò in adolescentiâ, alios in virili, alios in adultiore ætate, nonnullos demum in decrepitâ senectute: & quidem varijs modis, per internas inspirationes, per pios libros, per voces concionatorum, per exempla piorum, nunc promissis inuitâdo; nunc minis inducendo; nunc increpâdo; nunc consolationibus lætando; nunc absolutè voluntatis suæ beneplacitum insinuando: idq; ex gratuito paternoq; æternæ dilectionis affectu, ad maius singulorû meritum, ampliorisq; gratiæ brauiû acquirendû. Insuper tam peculiari circa quemuis Electû vocandum, dirigendum, fouendû, conseruandum,

dum-

*In spec.**Eccl. c. 5.*

dumque versatur prouidentia, quasi totius mundi esset oblitus, iuxta D. Edmundum. Hęc expensa tibi tuęque vocationi accommoda, profundeque rimare diuinę misericordię viscera in te, tali, tali ætate, tempore loco, occasione, modo in charitate perpetuã ad se trahendo, hucusque fouendo & conseruando: affectusque admirationis, gratitudinis, amoris, zeli cooperandi gratię vocationis subiunge.

*Ioan. 5.*

II. Vti Paterfamilias per suum procuratorem in fine diei dedit singulis mercedem non secundum tempus, quod in laborando impenderant, sed secundum feruorem, quo laborarant, sic Deus Pater per Christum (*cui dedit potestatem iudicium facere, quia filius hominis est*) in fine vitę cuiusque Electi (*quę instar vnus diei est; iuxta illud psalmistę: Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesternæ, quę præterit*) singulis reddet mercedem æternę glorię, non secundum diurnitatem temporis, quod in diuino obsequio consumperunt, sed secundum feruorem, quo se diuino seruitio impenderunt. Non enim tam inuetur, qui pro infinita iustitia sua reddet vnique secundum opera sua, quantum & quam diu, quam

*Rom. 2.*

ex

ex quanto affectu ipsi præstetur obsequium, videlicet, quam purâ intentione, quam ardenti deuotione. quam constanti conatu, quam seriâ applicatione virium mentis & corporis, quantum cum attentione, humilitate, reuerentiâ, alijsque heroicis adiunctis desiderijs. Hic suspicienda diuina liberalitas, in exiguis etiam obsequijs, sibi magno cum feruore præstitis remunerandis: & feruor perfectè agendi, quod agis, excitandus.

III. Porro cum sæpè numero seriùs vocati ad diuinum seruitium soleant insolito feruore perditos vitæ præteritæ annos compensare, seque ex magnâ humilitate, mercede indignos reputare; contra nonnulli maturè conuersi, numero annorum, quibus Deo seruierunt, freti, plus equo de suis meritis præsumere, amplioremque remunerationem sibi, præ reliquis, arrogare, quod indicat murmur priorum, qui cum multo diutius laborâssent, acceperunt sicut & postremi singulos denarios: idè subiungitur: *sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Vbi expendendum tantam esse Dei liberalitatem in remunerandis obsequijs feruenter

uenter perfecteque, quantumuis exiguotempore, sibi exhibitis, ut alij beati, qui diuturniores grauioresque in diuino seruitio labores, minore cum seruire exantlarunt, si status eorum pateretur, nonnulla inuidia tangerentur: Deinde multos, qui iudicio hominum habentur in vitæ innocentia, & sanctitate primi, iudicio Dei scrutantis corda & renes, sæpè nouissimos reputari: Demum, uti pauci inter vocatos ad fidem sunt Electi, sic paucos inter vocatos ad statum perfectionis plerumque reperiri eximie perfectos, iuxta illud D. Bernardi: *Contenti sumus angustis nostris, pauci sunt qui studeant emulari*: Ideoque omni studio tibi conueniendum, ut feruenter & sincere coram Deo, solide, constanter & infatigabiliter in dies proficere satagas in triplici via perfectionis. Urgendus hinc iterum zelus proficiendi solide in spiritu, hoc vel illo modo, his vel illis medijs.

Ser. 3. in  
Pentecost.

II. *De lapsu Luciferi, & sequacium Angelorum.*

I. **D**Eus, sub initium mundi corpori, Angelos ad imaginem & similitudinem suam condidit, eximijque naturæ, & gratiæ donis, ex gratuita boni-

bonitate sua, absque vllis præcedenti-  
 bus meritis, liberalissimè ornauit, vt,  
 quod vni eorum attribuitur ab Eze-  
 chiele, omnibus & singulis possit ac-  
 commodari. *Tu signaculum similitudinis, Ezech. 28*  
*plenus sapientiâ & perfectus decore in deli-*  
*cis paradisi fuisti, omnis lapu pretiosus ope-*  
*rimentum tuum.* Nam creati sunt puri  
 spiritus: immortales, intellectu perspi-  
 cacissimi, voluntate liberrimi, sapien-  
 tia ac scientia excellentissimi, potentia  
 supra reliquas creaturas admirabili  
 præditi, donis gratiæ Fidei, spei, chari-  
 tatis, aliarumque virtutum infusarum  
 eminentissimi, incolæ cœli empyrei,  
 capaces beatificæ visionis, ac fruitionis  
 Dei, cum certa spe eam, si vellent, asse-  
 quendi. Ponderanda hîc mira Dei in  
 illos liberalitas, & felix eorum sors, si  
 tantis diuinæ magnificentæ charisma-  
 tis benè vti voluissent. Quanta cæcitas  
 illorū, & tua hucusq; in diuinis favori-  
 bus agnoscendis, quanta socordia in  
 iisdem grato saltē mentis affectu recō-  
 pensandis! Dolor de ingratitude tua,  
 & omnium ingratorū hîc excitandus.  
 II. Porrò vt Angeli gloriosius amplio-  
 ribus æternæ gloriæ coronis decora-  
 rentur, voluit Deus, eos acceptis talen-  
 tis naturæ & gratiæ pro libertate arbitrij  
 sui

sui strenuè vti, ad propositum braui-  
 um promerendum: ideoque inter ca-  
 tera mysteria ijs reuelauit, secundum  
 complures Theologos, placere sibi  
 constituere regnum, cuius supremum  
 caput & rex futurum esset Verbum in-  
 carnatum, seu vniigenitus Dei filius,  
 humanam naturam hypostaticè as-  
 sumpturus: hunc proinde ijs fore pro-  
 rege suo habendum, adorandum, om-  
 nique obsequiorum genere colen-  
 dum; insuper amore huius regis huma-  
 nam naturam ad tantam dignitatem e-  
 leuaturi, oportere eos hominibus, tan-  
 quàm minoribus fratribus suis, ad con-  
 sortium eiusdem regni vocatis, omni  
 ope opitulari in æternæ salutis portu  
 assequendo. Si huic diuinæ Sapientie  
 sue decreto assentirentur, æternum sal-  
 uandos; sin refragarentur, æternum re-  
 probandos. Michael & boni Angeli  
 expendentes articulos reuelatos, hu-  
 militer agnoscentes, se gratis tot cha-  
 rismatis præuentos, meritò debere di-  
 uino beneplácito in omibus acquies-  
 cere, illum absolutum esse Dominum,  
 cui fas sit pro libitu sua bona distri-  
 buere; se inutiles seruos, quibus in-  
 cumbar tanto Domino in omnibus  
 obtemperare, absque morâ vnanimi  
 sen-

cōsensu se resolverunt, omninò in eius potestate se fore, omnesque eius beneplacitum venerari, amplecti, exosculari, exsequi velle. At Lucifer tam eximij acceptis dotibus elatus, indignū ratus humanæ naturæ mortali, fragili, abiectæ, diuinam illam hypostaticæ vnionis dignitatem deferrī, angelicæ naturæ spirituali, immortalī, longè nobiliori, & quidem sibi, vt pulcherrimæ & nobilissimæ creaturæ, illam deberi, manifestè se diuinæ submittere voluntati detrectauit, magnamque Angelorum partem in suam secum sententiam traxit. Perseuerat Michael cum suis, in primâ illa heroicâ resolutione, indignatur Lucifero cum socijs, diuinæ Maiestatis sanctissimo decreto palam reluctanti, atque in suam illum pertrahere conatur sententiam: continuat, & intendit actus fidei, spei, charitatis, humilitatis, reuerentiæ, obedientiæ, resignationis prius elicitos, cum heroicis desiderijs Deo in omnibus quàm perfectissimè gratificandi. Perseuerat & Lucifer obstinatus in suâ superbiâ & rebellione, alios bonos Angelos ad defectionem concitat, malos in pertinaciâ confirmat, D. Michaeli & socijs eius se acriter oppo-

nit,

nit, diuinos honores homini defere-  
dos manifestè sibi arrogat, inquit:  
*Isa. 14.* *In caelum conscendam, supra astra Dei ex-  
altabo solium meum, sedebo in monte testa-  
menti, in lateribus Aquilonis. Ascendam  
super altitudinem nubium, similis ero altis-  
simo. O quanta Luciferi, & cuiusuis  
malitiosi peccatoris excecatio, obsti-  
natio, proteruia, amentia! quàm verum  
illud: *Prou. 18.* *Impius, cùm in profundum peccato-  
rum venerit, contemnit! O quanta & tua  
in Deo tuo toties offendendo, iniuria,  
cæcitas, proteruia, pertinacia! Quan-  
tus è contra bonorum Angelorum ze-  
lus diuini honoris propagandi & be-  
neplaciti amplectendi, quanta submis-  
sio, resignatio, quanta in his omnibus  
constantia! His ponderatis horrorem  
superbiæ omnisque peccati concipe,  
& SS. Angelorum virtutes imitari  
propone.**

III. Post hoc inter bonos & malos  
Angelos spirituale commissum prali-  
um, statim iusto Dei iudicio boni con-  
firmati sunt in gratia, & pro cuiusque  
meritis, æterna coronati gloria; mali  
priuati gratia, confirmati in malitia, &  
projecti in tartara, iuxta illud Apoc.  
*Apoc. 12.* *Michael & Angeli eius praliabantur cum  
Dra-*

Dracone, & Draco pugnabat & Angeli  
 eius: & non valuerunt, neq; locus inuentus  
 est amplius in caelo. Et illud Christi: Vide- Luc 10.  
 bam Sathanam ta: quàm fulgur de caelo  
 cadentem. Et illud Ezechielis: Eieci te de Ezech. 28  
 monte Dei, & perdidisti te ô Cherub prote-  
 gens, de medio lapidum ignitorum. Et eleva-  
 tum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sa-  
 pientiam tuam in decore tuo, in terram  
 proieci te. Et illud Isaïæ. Isai. 14.  
 Deiecta est ad  
 inferos superbia tua. Quomodo cecidisti Lu-  
 cifera, qui manè oriebaris? corruisti in terrâ,  
 qui vulnerabas gentes. O quanta abyssus  
 diuinorum iudiciorum? quàm inscru-  
 tabilis diuina iustitia! Si Deus infinitè  
 misericors, primogenitis nobilissimis-  
 que creaturis, quæ nullum viderant  
 diuinæ iustitiæ exemplar, semel, bre-  
 uissimo temporis interuallo, vnico  
 præcipue superbiæ peccato, interno  
 consensu perpetrato, suam Maiestatem  
 læserant, non pepercit: sed absque vllâ  
 spe misericordiæ a facie sua eas æternū  
 cruciandas proiecit; quid tu toties,  
 tam multiplicibus, post rot diuinæ  
 vindictæ statuta in præuicatores ex-  
 empla, meruisses? misericordia Domi-  
 ni est, quod non sis consumptus. Quò  
 ergò in te Deus hucusque fuit miseri-  
 cordior, eò satage esse gratior, & deinceps

ceps

nit, diuinos honores homini defere-  
dos manifestè sibi arrogat, inquit:  
*Isa. 14.* *In caelum conscendam, supra astra Dei ex-  
altabo solium meum, sedebo in monte testa-  
menti, in lateribus Aquilonis. Ascendam  
super altitudinem nubium, similis ero altis-  
simo. O quanta Luciferi, & cuiusuis  
malitiosi peccatoris excecatio, obsti-  
natio, proteruia, amentia! quàm verum  
illud: *Prou. 18.* *Impius, cùm in profundum peccato-  
rum venerit, contemnit!* O quanta & tua  
in Deo tuo toties offendendo, iniuria,  
cæcitas, proteruia, pertinacia! Quan-  
tus è contra bonorum Angelorum ze-  
lus diuini honoris propagandi & be-  
neplaciti amplectendi, quanta submis-  
sio, resignatio, quanta in his omnibus  
constantia! His ponderatis horrorem  
superbiæ omnisque peccati concipe,  
& SS. Angelorum virtutes imitari  
propone.*

III. Post hoc inter bonos & malos  
Angelos spirituale commissum prali-  
um, statim iusto Dei iudicio boni con-  
firmati sunt in gratia, & pro cuiusque  
meritis, æterna coronati gloria; mali  
priuati gratia, confirmati in malitia, &  
projecti in tartara, iuxta illud Apoc.  
*Apoc. 12.* *Michael & Angeli eius praliabantur cum  
Dra-*

Dracone, & Draco pugnabat & Angeli  
 eius: & non valuerunt, neq; locus inuentus  
 est amplius in caelo. Et illud Christi: Vide- Luc 10.  
 bam Sathanam ta: quam fulgur de caelo  
 cadentem. Et illud Ezechielis: Eieci te de Ezech. 28  
 monte Dei, & perdidisti o Cherub prote-  
 gens, de medio lapidum ignitorum. Et eleva-  
 tum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sa-  
 pientiam tuam in decore tuo, in terram  
 proieci te. Et illud Isaia. Detracta est ad Isai. 14.  
 inferos superbia tua. Quomodo cecidisti Lu-  
 cifer, qui manè oriebaris? corruisti in terrā,  
 qui vulnerabas gentes O quanta abyssus  
 diuinorum iudiciorum? quam inscru-  
 tabilis diuina iustitia! Si Deus infinitē  
 misericors, primogenitis nobilissimis-  
 que creaturis, quæ nullum viderant  
 diuinæ iustitiæ exemplar, semel, bre-  
 uissimo temporis interuallo, vnico  
 præcipue superbiæ peccato, interno  
 consensu perpetrato, suam Maiestatem  
 læserant, non pepercit: sed absque vllā  
 spe misericordiæ a facie sua eas æternū  
 cruciandas proiecit; quid tu toties,  
 tam multiplicibus, post tot diuinæ  
 vindictæ statuta in præuicatores ex-  
 empla, meruisses? misericordia Domi-  
 ni est, quod non sis consumptus. Quod  
 ergo in te Deus hucusque fuit miseri-  
 cordior, eò satage esse gratior, & deinceps

ceps

ceps cautior, Et subiunge actus timoris filialis, gratitudinis, & contritionis

## III.

*De lapsu Protoplastorum.*

I. **D**Eus infinite bonus & beneficus, creauit initio mundi Protoplastos parentes nostros ad imaginem suam, nobilissimas post Angelos creaturas, medias inter puros spiritus, & brutas pecudes, rarisque naturæ & gratiæ donis largissime ditauit. Nam largitus est ijs animam immortalem, memoriam firmam, intellectum perspicacem, voluntatem liberam cum insigni rerum naturalium & supernaturalium cognitione, corpus tali animæ proportionatum cum potentijs sensitiuis, organisque congruis: collocauit eos in paradiso terrestri transferendos cum glorificato corpore aliquando in cœlestem: constituit eos dominos omnium inferiorum creaturarum: prouidit ijs abundanter omnia necessaria, non solum ad necessitatem, sed etiam ad voluptatem, cum ligno vitæ, quo vitam instaurarent, & in pristino vigore conseruarent, in super per infusam gratiam sanctificantem eos in filios adoptauit, fide, spe, charitate, aliisque

in

infusis virtutibus, in excellenti gradu  
 dotavit: iustitia originali decoravit,  
 quâ sensualitas rationi, caro spiritui,  
 spiritus Deo plenè subijciebatur, à  
 mortalitate, alijsque ærumnis. quibus,  
 quoad naturæ conditionem obnoxij  
 fuissent, exemit, vitamque tranquillam  
 ac verè beatam illis impertivit: idque  
 ex mera bonitate sua, eo fine, ut ipsi  
 cum omnibus posteris olim ad felicis-  
 simum diuinæ beatitudinis & gloriæ  
 suæ consortium eueherentur. O quàm  
 immensa illa diuinæ benignitatis lar-  
 gitas! quanta illa parentum nostrorum  
 felicitas! Quàm largus fuit & in te huc-  
 usque Deus, talem te, tali tempore,  
 condendo, talibus naturæ gratiæque  
 præsidij muniendo, stola innocentiae  
 in baptismo vestiendo, totiesque eam  
 peccatis inquinatam & perditam tibi  
 in sanguine suo lotam redonando. Sed  
 eheu! *cognouit bos possessorem suum, & a-  
 sinus praesepè Domini sui: Israel autem me  
 non cognouit, & populus meus non intelle-  
 xit.* Quanta & tua felicitas, si rot gra-  
 tijs grato animo sanctè usus fuisses?  
 Quanta proinde Deo tuo deinceps  
 pro ijs debetur gratiarum actio, quan-  
 tus feruor ijs quam perfectissimè, sicut  
 ipsi placet, utendi?

K

II. Por-

II. Porro vt protoparentes nostri suam erga Deum subiectionem declarandi, æternamque beatitudinem, ad quam creati erant, promerendi occasionem haberent, facile ijs tradidit mandatum sub interminatione æternæ mortis cum omni posteritate incurrædæ obseruandum, ne videlicet ex arbore scientiæ boni & mali comederet: quod Eua à Cacodæmone, serpentem mentito, seducta, transgressa in eandem secum Adamum præuaricationem induxit. Heu quam facile infelices illi progenitores nostri immemores diuinorum beneficiorum, promissionum, minarū, primo Sathanæ insultui cedere! quam indignū Euam plus credere fraudulento serpenti, quam infallibili Dei veritati, & Adamū metuere potius, ne displiceat vxori, quam creatori! Quam indignum & te toties sequi potius Dæmonem decipientem, quam Christum viam veritatis docentem, potius mundum deficientem, quam Christum reficientem? toties parere potius blandienti sensualitati, quam sanctissimæ Dei voluntati. Heu! quoties & in te completur illud: *Homo cum*

*Psal. 48. in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est*

est illis! Contritio cum proposito seriæ emendationis hic prolixè excitanda.

III. Præuaricationem hanc statim subsecuta est seuera diuinæ iustitiæ vindicta. nam subito gratiâ sanctifican-  
re sunt priuati, iustitiâ originali ex-  
spoliati, dono immortalitatis exuti, è  
paradiso eiekti, morti ærumnisque  
corruptibilis corporis omnibus, à qui-  
bus fuerant exempti, rursus subiecti, &  
quidem cum omnibus posteris, qui ex  
ijs natura filij iræ erant nascituri. O  
quàm acriter sensere harum pœnarum  
acerbitatem, quàm amarè defleuere  
suam insipientiam & cæcitatem extor-  
res è paradiso, fessi tam longæuo exi-  
lio! quoties suspirarint cum Iobo: *Quis*  
*mihî tribuat ut sim iuxta menses pristinos,* *Iob 29.*  
*secundum dies, quibus Deus custodiebat*  
*me? quando splendebat lucerna eius super*  
*caput meum, & ad lumen eius ambulabam*  
*in tenebris? sicut fœi in diebus adolescentia*  
*mea, quando secreto Deus erat in taberna-*  
*culo meo? quando erat omnipotens mecum,*  
*& in circuitu meo pueri mei? Suspira &*  
*tu similiter, cum intimâ compunctio-*  
*ne cordis, ad recuperandam innocen-*  
*tia vestem in baptismo acceptam,*  
seria pœnitentiâ & fer-  
uore spiritus.

IV. De gravitate poenarum ex Ada peccato  
in posteros redundantium?

*Gravitas harum poenarum secundum quatuor dimensiones sic potest expendi.*

I. **L**atitudo harum est multiplicitas & extensio earundem ad omnes ex vitiata hac stirpe oriundos: videlicet, privatio gratiæ & amicitia Dei, amissio iuris adoptionis filiorum, & regni cœlorum: reatus culpæ originalis & pœnæ gehennalis: ademptio iustitiæ originalis, ex qua sequitur tanta in intellectu cœcitas, in voluntate peruersitas, in memoria & phantasia lubricitas, in appetitu sensitiuo ad malum pronitas, ad bonum tarditas; tanta in passionibus coercendis, carnisque concupiscentijs frangendis fragilitas; atque ex his, velut impurissimis fontibus, tanta, tot, tamque abominandorum peccatorum multitudo, varietas, enormitas; insuper tanta omnium damnatorum, & damnandorum, tot poenarum & tormentorum varietas. Heu, quod ex vna infecta scaturigine sordidissima flumina tot peccatorum, ærumnarum, suppliciorum profluxere!

te! si tanta grauitas vnus inobedien-  
tia, in vetito pomo comedendo, qua-  
lis erit grauitas tot horrendorum fla-  
gitiorum? His expensis concipiendus  
horror omnis peccati cum intima con-  
tritione, & proposito emendationis,  
quod & in sequentibus punctis est fa-  
ctitandum.

II. Altitudo earum pœnarum seu  
sublimitas, est singulorum grauitas,  
quod videlicet priuent totam Adæ  
sobolem fruitione summi boni, vti est  
amicitia Dei, gratia & gloria; & sum-  
mum ijs accersant malum, vti est of-  
fensa Dei, reatus culpæ, & pœnæ, in  
tempore, & æternitate.

III. Longitudo est continuata du-  
ratio propagationis primogeniæ labis,  
& miseriarum inde manantium, à pri-  
mo vsque ad nouissimum Adæ filium  
in fine mundi nasciturum, excepta  
semper immaculata Virgine, cum filio  
immaculatissimo, fonte omnis pari-  
tatis.

IV. Profunditas est incomprehen-  
sibilitas rigoris diuinæ iustitiæ, tam fe-  
uerè vnicum peccatum, non solum in  
primis parentibus, sed tot millenis  
millibus posterorum castigantis, &  
quidem infra condignum: ô incom-

prehensibilem abyssum malitiæ vel  
vnius peccati, quod à Deo infinitè iu-  
sto & misericorde sic punitur!

V. *De gravitate pœnarum, quæ ob vnicum  
peccatum lethale incurrun-  
tur.*

*Harum pœnarum gravitas simili discursu  
secundum quatuor dimensiones potest  
æstimari.*

I. **L** Atitudo pœnarum vni lethali  
culpæ debitæ, est earum mul-  
tiplicitas, quarum aliquæ in hac vitâ,  
aliæ in futurâ persolvendæ. In hac qui-  
dem vitâ iusto Dei iudicio per quod-  
uis mortale peccatum vel semel tantû  
commissum incurruntur hæ: privatio  
gratiæ iustificantis, amissio iuris filij,  
hæredis Dei, cohæredis Christi, fœdissi-  
ma animæ conspurcatio, perpetuus  
conscientiæ remorsus, continuus mœ-  
ror, irrequietus mortis, iudicij, inferni  
horror, subtractio, præterea auxiliorû  
vberioris gratiæ, facilius in graviora  
peccata prolapsio, in malo obduratio,  
desperatio, præter innumeras penè  
corporales misérias. In alterâ vitâ hæ:  
privatio gloriæ essentialis animæ, seu  
bea-

beatificæ visionis, dilectionis, fruitio-  
nis, omnisque accidentalis gloriæ,  
priuatio gloriæ corporis, omniumque  
gaudiorum singulis, gloriosi corporis  
sensibus debitorum: variæ demum  
pœnæ sensûs, & cruciatus, quibus ani-  
ma, omnesque eius potentia, & post  
resurrectionem corpus etiam, omnes-  
que eius sensus dirissimè torquebun-  
tur O quanta proteruia, quanta stoli-  
ditas est adedè temerè & facilè per mo-  
mentaneam delectationem se in im-  
mensum tot miseriarum & pœnarum  
tam horrendarum pelagus præcipitare!  
Quanta porro gratiâ reputanda, vel ab  
vnico lethali delicto peculiari Dei  
providentiâ præseruari, vel ab eodem  
semel commisso misericorditer libera-  
ri! quanto tandem maior gratia, non  
semel, sed toties à tot horrendis flagi-  
tiji singulari Dei misericordia vel  
præseruari vel liberari! Quoties tibi  
tam proteruè, & temerè peccanti sic  
hanè gratiam præstitit diuina bonitas,  
cui te etiamnum exhibes tam ingratû?  
Agnosce, respisce, gratias age, lacry-  
mis dilue, prolixius eliciendo affectus  
gratitudinis, contritionis, amoris: Si-  
miles discursus & affectus etiam in se-  
quentibus punctis vsurpandi.

II. *Altitudo* seu sublimitas, & singularum poenarum dictarum enormitas, quæ ex eo colligenda, quod singula peccanti vel adimant inæstimabile bonum, vel accersant inæstimabile malum in tempore & æternitate, ut patet per singulas discurrendo.

III. *Longitudo* est earundem, vel diuturna in hac vita, vel æterna in altera duratio.

IV. *Profunditas* est incomprehensibilitas infinitæ iustitiæ Dei, qui infinitè est misericors & iustus, tam seuerè unicum peccatum tot poenis æternis castigantis, & quidem infra condignum. O inæstimabilem peccati gravitatem, & peccatoris tam facile id committentis fatuitatem! O immensam Dei tam longanimiter te hucusq; tolerantis, ad poenitentiam inuitantis, à tot præservantis vel liberantis benignitatem! &c. Ut supra.

VI. *De gravitate peccati ex parte Maiestatis diuina, & vilitatis propria.*

I. PECCATOR in quouis peccato mortali præponit creaturam Creatori. Hic expende, quàm indignum sit homuncionem vilissimum, qui ex limo quoad

quoad corpus formatus, ex nihilo  
 quoad animam creatus, ex se nihil est,  
 nihil boni naturæ vel gratiæ habet, ni-  
 hil potest, nihil scit, nihil vult facere,  
 nihil facit ex se, absque peculiari diui-  
 no concursu ac præsidio, excepta sola  
 peccati malitia, cuius ipse auctor est,  
 præponere, aut momentaneam aliquã  
 voluptatulam, aut temporale lucel-  
 lum, aut inanem gloriolæ umbram,  
 aut meram propriæ voluntaris libidi-  
 nem, Deo suo summo, infinito, inæsti-  
 mabili bono, idum eligit potius eum  
 offendere, eiusque gratiam & amicitiam  
 perdere, quàm carere fucata illa futili-  
 que, quàm in creaturis aucupatur, vo-  
 luptatula, idque tam temerè, reluctan-  
 te conscientia, cum tam manifesto æ-  
 ternæ salutis periculo. Quanta illa est  
 dementia? quoties hanc incurristi, tot  
 peccata grauiâ committendo, tot in-  
 super venialia deliberatè superadden-  
 do, quibus si non postponitur Creator  
 creaturæ, saltem minus diligitur amo-  
 re creaturæ! O quàm meritò perennâ  
 lacrymarum profluuio hæc iniuria  
 Deo tuo illata foret eluenda! quanta  
 cura etiã in minimis peccatis euitan-  
 dis adhibenda? Affectus excitandi,  
 contritio, horror peccati, zelus com-

missa expiandi, committenda praecauendi, feruore spiritus omnia compensandi.

II. Peccans grauitèr deliberatè, Deum contemnit, & legem eius aeternam pessundat Vbi expende, quanta sit proteruia, hominem vnum infinita penè vilitatis, fragilitatis, inscitiae, malitiae, abominabilitatis, tam impudenter, & quidem deliberatè, audere se erigere contra Deum conditorem suum infinita Maiestatis, potentiae, sapientiae, bonitatis, amabilitatis, eum flocci pendere, impie que spernere amore vilissimae creaturae: sanctissimam eius aeternamque legem, normam omnis rectitudinis & sanctitatis pessundare malle, quam nefariae suae voluntati & cupiditati refragari. Quanta illa proteruia creaturae vilissimae, quae caeteris collata creaturis, minima penè earum est portio, audere tantam iniuriam inferre creatori, omnes omnium creaturarum perfectiones eminentissimè in se continenti, cui collatae omnes creaturae, etiam possibiles simul sumptae, nihil sunt, cum finitum ad infinitum nullam habeat proportionem? Vnde rectè Isaias: *Omnes gentes, quasi non sint, & quasi nihilum & inane reputatae sunt ei.*  
Br.

Isa. 40.

Et Sapiens : *Tanquam momentum statera, sic est ante te orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, qui descendit in terram.* Affectus ijdem repetendi.  
III. Peccans mortaliter petit iugulum ipsius diuinæ Maiestatis, nam quantum in se est, vellet Deum peccata sua non scire, nec posse, nec velle punire, ac proinde non esse infinite sapientem, potentem, bonum, iustum ac sanctum; & consequenter Deum non esse Deum, cum is per essentiam sit infinite sapiens, potens, bonus, iustus & sanctus. Quousque progreditur inestimabilis peccati malitia? Quam merito detestanda, deploranda, ac deinceps summa contentione præcauenda tanta infania? Affectus ijdem.

*Sap. xii.*

*De gravitate peccati ex parte benignitatis diuinæ, & ingratitude nostræ.*

*VII.*

I. **Q**uovis peccato, maximè graviori, ingratarum se exhibet homo æternæ Sanctissimæ Trinitatis erga se dilectioni, quâ decreuit, ab æterno, eum tot tantisque naturæ, gratiæ, gloriæ donis ornare, quot quantisque:

K 6.

tisque:

tisque eundem hucusque ornauit, ornat, æternumque, si resipiscens in gratia perseuerauerit, ornabit. O quanta ergo ingratitude tot tantisque peccatis offendere Patrem misericordissimum ab æterno decernentem te, talè, tali tempore creare, sic conseruare, sic per filium redimere, sic glorificare: Filium ab æterno paratum pro te incarnari, tam mira facere, tam dira pati Spiritum sanctum ab æterno te eligentem in sponsam, templum, sacrarium, paratumque tibi fructus redemptionis peculiariter applicare toties iustificando, sic vocando, sic in via perfectionis dirigendo, promouendo, conseruando, peculiari sua gratia ad donum perseuerantiæ deducendo, ad brauium gloriæ inuitando! O quàm meritò exprobraret tibi Deus tuus æternus tuus amator: *In charitate perpetua dilexi te, idèò attraxi te miserans tui* Ab æterno cogitauit de te, amaui te, statui tam benignè te attrahere ad me cognoscendū, amandumque in via, & beatè possidendum in patria. Et tu tam rarò cogitasti de me, tam parū redamasti, insuper toties, tam grauiter offendisti me.

*Tu fornicatus es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me, & ego suscipiam te.*

His

*Ver. 31.*

*¶ 3.*

His expensis excitandus dolor de peccatis ex amore Dei, gratitudo, amor.

II. Ingratum deinde se exhibet peccator Deo, pro omnibus beneficiis hucusque acceptis; æterno Patri pro beneficio creationis & conseruationis, instar filij prodigi donis eius abutendo: Filio, pro beneficio redemptionis, & peculiaris meritorum suorum applicationis, gratiam ab ipso tanto pretio sibi impetratam respuendo: Spiritui sancto, pro beneficio iustificationis vocationisque ad fidem ac religionem, sanctas eius inspirationes impulsusque toties contemnendo. Quàm iustè igitur Deus, Creator, Saluator, Sanctificator tuus tam misericors, suavis & amabilis tecum exostularet, uti olim cum Israelitis. *Hæcine reddis Deut. 32. Domino popule stulte & insipiens? nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te? redemit, iustificauit & vocauit te? Deum, qui te genuit (imò sic redemit, sic sanctificauit) dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui, reparatoris tui, sanctificatoris tui. Dole de ingratitude tua, gratias age, quod te hucusque tolerarit, & feruentius redama sic amantem te.*

III. Demum ingratum se præbet peccator

cator quouis peccato eidem liberalis-  
simo Deo suo pro bonis gloriæ inæsti-  
mabilibus, quæ respicienti daturum  
se promisit, abutendo anima cum po-  
tentijs eius, cui ipse impertiri visio-  
nem, amorem & gaudium beatificum  
parat, & corpore cum sensibus eius,  
quod ipse miris gloriæ dotibus subli-  
mare, miris delicijs æternum demul-  
cere desiderat. Quam indignum ergo  
per peccatum se auertere ab inexhau-  
sto fonte liquidissimarum, perennium  
æternarumque deliciarum, & conuer-  
tere se ad perforatas cisternas impura-  
rum, periturarum, & momentanea-  
rum voluptatularum? *Obstupescite cæli,*  
*& porta eius desolamini vehementer, duo*  
*enim mala fecit populus meus: me dereli-*  
*querunt fontem aqua viua, & foderunt sibi*  
*cisternas; cisternas dissipatas, que continere*  
*non valent aquas. Prædicti affectus &*  
*hic repetendi.*

Ver. 2.

Heb-

dom 60.

I.

Dominica Sexagesimæ.

De parabola seminantis. Matth. 13.

I. **C**onsidera, quàm assiduè sollici-  
teque Deus instar seduli & sol-  
liciti.

Sicuti agricolæ animarum nostrarum,  
optimo semine diuini verbi conserat,  
simulq; excitet ac disponat ad solidos  
fructus omnis perfectionis permanen-  
tes in vitam æternam producendos,  
memoriæ pias cogitationes & sancta-  
rum rerum imagines ingerendo: intel-  
lectui supernaturales illustrationes ad-  
diuina capienda sancta consilia, ac ra-  
tiones agendorum & omittendorum  
infundendo: voluntati varias motio-  
nes impulsusq; ad omnimodam perfe-  
ctionem auidè sectandam imprimen-  
do: idq; partim per internas inspiratio-  
nes, & instinctus, partim per externas  
instructiones & voces concionatorũ,  
confessorum, aliorumq; per lectio-  
nes piorum librorum, per exempla fer-  
uentium & perfectorum, & quidem ex  
incenso salutis nostræ desiderio, eo fi-  
ne, vt vberiores fructus proferentes,  
insigniores gloriæ coronam in cælo  
olim consequamur. Quàm prompto  
proinde gratoq; animo diuinæ huius-  
modi inspirationes essent recipiendæ?  
Quàm oscitanter porro tu eas hucus-  
que exceperis, & quam parum ijs sis  
cooperatus. Gratias age Deo, pro tantâ  
in te benignitate, & dole de tua ingra-  
titudine cum proposito emédationis.

II. Co-

II. Cogita, quanta sit multitudo eorum, qui ex semine diuini verbi interni vel externi, in terram cordis sui sparsi, optatos minimè referant fructus: Nonnulli enim terræ duræ & concalcatae secus viam similes, non recipiunt intra se semen diuini verbi, sed in superficie tantum, eò, quod habeant cor durum, in deuotum, vomere mortificationis non subactum, peruium terrenis cogitationibus ac desiderijs, nunquam collectum. Alij instar petrosæ terræ, recipiunt illud quidem, & affluente aura consolationis, & prosperitatis, germinare incipiunt, sed ingruente æstu desolationis, & aduersitatis deficiunt & exarescunt. Alij demum similes terræ spinis oblitæ, licet diuinas inspirationes ac sancta desideria à Deo ingesta excipiant, præpediuntur ab eorum executione obrati spinis diuitiarum, honorum, voluptatum, & curarum, sæcularium. O quanta horum miserorum cæcitas & stoliditas! quàm amarè olim eam desitebunt, cum experientur illud Apostoli impleri: *Qui seminauerit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.*

Gal. 6.

III. Quo-

III. Quanta sit paucitas eorum, qui ex semente verbi diuini instar bonæ terræ speratos proferant fructus, quorum triplex gradus: nonnulli enim vigesimum, seu exiguum, vti boni coniuges, & incipientes in viâ perfectionis; alij sexagesimum, seu mediocrem, vt cælibes, & proficientes; alij denique centesimum seu eximium, vti religiosi, & perfecti, proferunt. O quanta illorum raritas, qui in statu quantumuis eminente, eminenter ferueant zelo eximie perfectionis, ad quam tot diuinis inspirationibus inuitantur, tot illustrationibus instigantur, tot impulsibus exstimulantur! Sed & quanta horum rarorum felicitas? Concipe zelum hos æmulandi.

*De magnitudine malitiæ peccati infinitæ secundum quatuor dimensiones inuestigandâ.*

**II.**

I. Latitudinem malitiæ cuiusuis peccati lethiferi, dispice, examinando quàm latè se per cælos, terras, inferos diffundat. Nam in cælo in SS. Trinitatem insurgit, infinitæ eius potentie, sapientiæ, iustitiæ, sanctitati, etc.

cete-

ceterisque diuinis attributis insultat  
 sanctissima diuinæ sapientiæ iudicia  
 reprobatur, decreta conculcat, leges pef-  
 fundat, pro beneficijs iniurias refun-  
 dit. Beatam Virginem cum totâ curiâ  
 triumphante contristat. In terris acce-  
 pta à Deo dona conuertit in arma, qui-  
 bus eundem laceffat: creaturas omnes  
 ad vindictam de se sumendam prouo-  
 cat: imaginem Dei conspurcat, eradit,  
 atque in imaginem diaboli conuertit:  
 priuat animam gratia & spe gloriæ Fi-  
 liorum Dei: facit ex filio gratiæ filium  
 iræ, & reum gehennæ: non rarò alios  
 in eandem secum miseriarum senti-  
 nam præcipitat; aut certe auxilio, &  
 exemplo debito defraudat. Apud infe-  
 ros peccantem præcipitem agit in ba-  
 rathrum tot, tam variorum æterno-  
 rumque tormentorum: causa est æter-  
 narum in Deum blasphemiarum: in-  
 super auget aliorum damnatorum,  
 maximè, qui huius peccati quoquo  
 modo causa exstiterit, cruciatus, bla-  
 sphemosque eiulatus. Quæ lacryma-  
 rum flumina huic tam immensæ mali-  
 tiæ diluendæ sufficiant? His expen-  
 sis concipiendus dolor, & cuiusvis  
 peccati, etiam venialis, quod ad mor-  
 tale disponit, continuus horror, zelus  
 puri-

puritatis conscientiae augenda.

II. Altitudinem eiusdem malitiae metire, considerando 1. quod summam Deo inferat iniuriam, volendo Deum non esse Deum, optando sanctissimas Dei leges esse iniquas, suae cupiditati conformes, summum malum pro summo bono reddendo, acceptis donis impiissime contra Deum pugnando, sanguinem filij Dei, pro se fufum, conculcando: eundem Dei filium rursus *Heb. 6.* crucifigendo, & ostentui habendo: Spiritum sanctum suffocando: totam caelestem curiam amore Dei sui infinite amabilis continuo flagrantem summè offendendo: 2. quod animae peccanti summum afferat malum, videlicet priuationem gratiae & gloriae, & reatum gehennae. 3. quod similiter proximos, qui vel causa extiterit, vel eo ad simile quid audendum incitati fuere, in eandem pertrahat sentinam culpae & poenae damni & sensus, aeternarumque Dei maledictionum. Quis tantam malitiae peccati enormitatem ponderans non exclamet cum Elea- 2. *Mach.* zaro, praemitti se malle in infernum, 6. quam praevaticari legem Dei? Et cum S. Edmundo Cantuariensi Episcopo: *Malo insilire in rogam ardentissimum, quam.*

quàm peccatum ullum sciens admittere in Deum meum? Et cum D. Anselmo: Si hinc peccati horrorem, illinc inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessarè uncorum immergi deberem, prius infernum, quàm peccatum appetere.

III. Longitudo malitiæ peccati æstimari inde potest, quod æternum peccator in ea perduraret, nisi gratiâ peculiari Deus cor eius ad resipiscendum emolliret: & quod æternis mereatur supplicijs plecti.

IV. Profunditas eiusdem malitiæ seu incomprehensibilitas, ex eo colligitur, quod condignè nullis vnquam pœnis, quantumvis diris & æternis, valeat expiari: & quod ad satisfaciendum pro infinita hac alienorum peccatorum malitiâ, ex rigore infinitæ iustitiæ voluerit Pater misericordiarum vnigenitum suum tantum lacrymarum, sudoris & sanguinis profunderi. His ponderatis affectus supra insinuati renouentur.

(...)

De frequenti exercitio vera compunctio-  
nis ex amore Dei. III.

I. **E**Xpende, quàm eximios actus in-  
cludat frequens exercitium veræ  
contritionis, videlicet 1. detestationem  
peccatorum intimumque de ijs dolo-  
rem cum spe veniæ, non ob iacturam  
temporalis cuiuscumque boni, nec ob  
metum supplicij, aut spem præmij, nec  
ex intuitu accepti alicuius beneficij,  
sed ex puro amore Dei, propter se in-  
finitè amabilis, his ipsis offensi. 2. Effi-  
cax desiderium firmumque proposi-  
tum commissa expiandi, nunquam  
amplius Deum offendendi, cum filiali  
timore sollicitè deinceps cauendi vel  
minimam tam boni Patris offensam. 3.  
Zelum satisfaciendi diuinæ iustitiæ, &  
commissa peccata bonis operibus  
compensandi, cum feruenti zelo profi-  
ciendi in triplici viâ perfectionis. De-  
inde dispice quàm sint hi omnes actus  
Deo grati nobisque meritorij, quàm  
facile cum diuinâ gratiâ possint fre-  
quentari, & quidem cum eximiâ per-  
fectione secundum quatuor dimensio-  
nes, nimirum, *Latissimè*, circa omnia  
peccata detestanda, expianda, emen-  
danda

danda & compensanda pijs omnis generis obsequijs: Sublimissimè seu purissimè quoad intentionem puri amoris Dei, & intensissimè omni possibili contritionis, fiducia, filialis timoris, puri amoris affectu, infinitè super omnia: Longissimè seu constantissimè, tota vitâ inter prospera & aduersa. Demum Profundissimè, seu insatiabili desiderio sapius, purius, intensius, constantius hos actus frequentandi. His profundè penetratis, eliciendi prolixè hi tres affectus contritionis per tria tempora, prout in Industrijs meditandi habetur. i. p. c. 7. §. 2.

II. Considera, quam feruenter hos actus simili cum perfectione frequentarint olim Sancti verè pœnitentes, vt Sanctus Petrus, Sancta Maria Magdalena, Sanctus Augustinus, alijque per multi, qui quantò clarius agnouere grauitatem offensæ diuinæ Maiestatis, excellentiamque infinitæ amabilitatis, tantò intensius compunctionis affectus elicuerunt. Hic renouandi iidem affectus.

III Incitamenta, vt sunt, 1. Quod his actibus maximè resarciatur iniuria Deo illata peccatis, quæ sic retractantur, & aliquomodo compensantur,  
2. Quod

2. Quod expient reatum culparum venialium, & non rarò mortalium, si adfit propositum eâ oblatâ opportunitate confitendi. 3. Quod nonnunquàm ijdem actus, si puri sint & intensi, etiã reatum pœnæ tollant. Quàm meritò proinde forent frequentandi omni possibili, pro mensurâ gratiæ, conatu? Quàm consultum esset eosdem ad longum exercere compluribus continuis diebus in consuetis meditationibus, vt hic habitus facilè eos cum eximiâ perfectione frequentandi acquireretur? In hunc igitur finem præter motiua contritionis, superioribus meditationibus contenta, alia in sequentibus suggeremus.

*De magnitudine diuinorum beneficiorum, maximè particularium ad contritionem excitandam.*

IV:

I. **E**Xpende hinc multitudinem & varietatem tot beneficiorum, tibi peculiariter à Deo collatorum, videlicet, quod ab æterno sic dilexerit, & tot peculiaribus benedictionibus dulcedinis suæ te præuenire decreuerit: in tempore sic te redemerit, & tam efficaciter tibi, præ totalijs, pretium redem-

redemptionis applicarit, talem, tali tempore, loco, conditione, condiderit, talibus naturæ & gratiæ dotibus ornarit, tam suauiter, & mirabiliter vocarit, iustificarit, à tot peccatis & miserijs præseruarit, à tot misericorditer liberarit, hucusque sic, quoad corpus & animam conseruet, foueat, ad optatissimum incomprehensibilis gloriæ brauium, quasi manu prehensum deducat. Inde verò multipliciter tuarum ingratorum, quòd de illo tantarò cogitâris, tam parum amaris, coties offenderis, atque etiamnum offendas, si non grauibus, saltem venialibus delictis? tam tepidè perfectioni studeas, tam imperfectè omnia tua opera facias. His expensis & inter se collatis, actus contritionis prolixè elicendus, vt & in sequentibus punctis.

II. Expende hinc excellentiam singulorum beneficiorum, quòd scilicet singula tibi collata sint, & nunc conferantur à Deo infinitè bono, liberali, amabili, ex infinito amore, tempore opportunissimo, ad finem sublimissimū, nimirum ad eximiam gratiam in hac vitâ, & gloriam in futurâ obtinendam. Inde enormitatem tuæ ingratorum pro tam eximijs charismatis.

III. In-

III. Intuere, & admirare hinc abyssalem, & gratuitam misericordiam Dei, quod te præ tam multis alijs melioribus & gratioribus, ex mero beneplacito suo, absque vlllo merito tuo, tam peculiaribus gratijs ornare ab æterno decreuerit, & in tempore ornârit, licet præuideret tuam tantam ingratitude & tepiditate. Inde abyssalem indignitatem, & incomprehensibilem stupiditatem tuam, quod tam luculento gratuiti amoris Dei Creatoris & Saluatoris tui erga te incendio ad feruenter redamandum necdum accendaris, necdum ad deflendam insensibilitatem obdurati cordis tui mouearis.

*De septem misericordijs Dei expendendis ad excitandam contritionem.*

V.

I. **P**ercurre septem misericordias Domini à D. Bernardo insinuatæ sermone de 7. panibus, & dispice quàm peculiariter eas tibi tam indigno gratis exhibere ab æterno decreuerit, & in tempore exhibuerit. Sunt autem hæ:  
1. Præseruatio à multis peccatis, in quæ  
L inci-

incidisses, & nunc incideres, nisi peculiari gratia præservatus fuisses, & nunc etiam præservareris. 2. Longanimitas Dei in tot admissis misericorditer hucusque tolerandis, non statim pro merito puniendis. 3. Paterna inuitatio & existimatio ad pœnitentiam. 4. Benigna susceptio pœnitentiæ, quantumvis imperfectæ. 5. Efficax voluntas emendationis. 6. Gratia bonæ conseruationis. 7. Spes firma perseuerantiæ & gloriæ ex peculiari benignitate concessa. Quam indignum tam misericordem Patrem toties, tam temerè, & proteruè offendere, tot tantisque miserationibus eius abutendo, tot mala pro tot bonis reddendo? His ponderatis affectus contritionis prolixius exercendus.

II. Pondera singularum istarum misericordiarum Domini præminentiam, per singulas discurrendo, quam singulæ in se eximiæ sūt, cum à summa bonitate Dei ad finem sublimissimum gratiæ & gloriæ, ex gratuita dilectione communicentur: quam tibi necessariæ, sine quibus æternum perijsses: quam vtilis, à quibus omnis tua spes gratiæ & gloriæ dependet.

III. Quam eximio gratitudinis, amoris,

ris, compunctionis, zeli Deo perfecte placendi affectu his misericordijs vti fuerint, seque ad continuum in via perfectionis progressum extimularint tot Sancti easdem in se experti? imò quàm benè feruenterque totalij peccatores vterentur, si illis, vti tibi, tam congruè largiterque offerrentur? Quam æquum ergo foret, vt vel nunc tandem toto corde exclamares: *Miserationum Domini recordabor. Et: Misericordias Domini in aeternum cantabo, Dixi nunc cœpi.* Isa. 63. Ps. 76.

*De ijs, quæ Christus fecit & passus est pro nostris peccatis expiandis.* VI.

I. **E**Xpende quot, quantasque lacrymas Christus Dominus pro nostris peccatis diluendis profuderit, non solum in infantia, in suscitatione Lazari, in ingressu Ierusalem, ante passionem, in cruce cum lacrymis & clamore valido orans expiransque, sed tota insuper vita, & quidem creberri-  
mè: quot, quàm diuinos affectus perfectissimæ compunctionis, de tot horrendis totius humani generis sceleribus, quæ suis humeris imposta in se expianda suscepit, à primo Incarnatio-

nationis momento vsque ad vltimum  
vitæ halitum assiduè frequentarit, &  
quidem ed frequentius, purius, inten-  
sius, constantius, insatiabiliusque; quò  
clarius multitudinem, grauitatem, ma-  
litiàmque tot tamque multiplicium &  
abominandorum peccatorum ab ini-  
tio mundi commissorum, & ad finem  
vsque committendorum, & atrocita-  
tem suppliciorum ijs debitorum præ-  
uidebat; & quò perspicacius infinitam  
Dei amabilitatem, iustitiam, Maiesta-  
tem, enormitatemque infinitam cu-  
iusuis offensæ diuinæ iugiter intueba-  
tur. Item, quò intensius Patrem infini-  
tè amabilem his offensum, animasque  
ad imaginem diuinam conditas dilige-  
bat. Quis harum lacrymarum, horum  
affectuum præminentiam intellectu  
vel Cherubico assequatur, cum singuli  
sint infinitæ dignitatis & meriti? Si  
porrò innocentissimus ille agnus sic  
defleuit, sic expiauit peccata aliena,  
quid tibi pro peccatis proprijs facien-  
dum? An non dicendum & sentiendum  
cum D. Bernardo: *Adhucne ludam &  
deludam lacrymas eius? Plane si insanus  
sum & mentis inops, non sequar eum, nec  
simul cum lugente iugebo. Pudet propriam  
negligenter dissimulare passionem, cui tan-*  
tum

Ser. 3. de  
nat.

*rum à Maieſtate tanta exhiberi video com-  
paſſionem. Compatitur Filius Dei & pla-  
rat: homo patitur, & ridebit?*

II. Expende, quot quantasque Filius Dei incarnatus in pueritia infantiles neceſſitates, incommoditates, miſerias ſpontè ſubierit: quot quantasque in priuata laborioſaque 30. annorum vita ærumnas, labores, tædia tolerarit: quot quantasque tribus & amplius annis in prædicando fatigationes, vigilias, difficultates, oblocutiones, calumnias, perſecutiones ſuperarit: quot quantasque corporis afflictiones tota vita vltro ſuſceperit, ad expianda omnium noſtrum peccata, & tua quidem in particulari, quæ aſſiduè eius oculis obuerſabantur. Et tu necdum ad iniquitates tuas deſcendas expiandasque moueri te ſuis?

III. Expende demùm, quot quantosque Chriſtus ad ſuperabundanter ſatiffaciendum rigori diuinæ iuſtitie, maximè tempore paſſionis in anima omnibusque eius potentijs dolores: quot in corpore omnibusque eius membris & ſenſibus, cruciatus tolerarit: quot quoad famam, calumnias, ludibria, opprobria ſuſtinuerit, quam diram denique ignominioſamque mor-

tem subierit : imò quanto desiderio hæc omnia, & multo plura, acerbiora & indigniora pati totâ vitâ exoptarit : ac proinde quid tibi pro peccatis proprijs meritò tolerandum foret? An non meritò exclamandum & sentiendum cum D. Augustino: *Hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.* Et cum Psalmista: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo, paratum cor meum Deus,* ad patiendum quicquid vis amore tui ad satisfaciendum infinitæ iustitiæ tuæ, quam utinam nunquam offendissem!

*Pf. 115.*

**VII.** *De infinitâ amabilitate Dei, quæ quovis peccato offenditur.*

**I.** **E**Xpende quàm infinitè bonus & amabilis sit Deus, ideoque infinito honore, amore, obsequio plusquam dignissimus, qui tamen quovis peccato vilipenditur, offenditur, contemnitur. Et primum quidem quàm latè se extendat eius bonitas & amabilitas, videlicet ad omnem omninò rationem bonitatis & amabilitatis etiam imaginabilis & possibilis. Continet enim in se Deus eminentissimè i. omnem rationem boni honesti, cum sit ipsa infinita maiestas, magnificentia,  
sapi-

sapientia, bonitas, iustitia, misericordia, sanctitas, principium omnis maiestatis, magnificentiæ, sapientiæ, bonitatis, iustitiæ, misericordiæ, sanctitatis. 2. **O**mnem rationem boni vtilis, cum sit ipsa infinita benignitas, munificentia, liberalitas. origo omnis benignitatis, munificentiæ, liberalitatis.

3. **O**mnem rationem boni iucundi ac delectabilis, cum sit ipsa infinita pulchritudo, dulcedo, suauitas, amabilitas. fons omnis pulchritudinis, dulcedinis, suauitatis, amabilitatis. Quàm indignum ergò, hanc infinitam Dei bonitatem & amabilitatem à peccatore negligi, sperni & postponi ludicræ gloriolæ, exiguo lucullo, euanidæ voluptatulæ? O quàm clarè hoc agnoscunt, sed serò nimis, qui apud inferos sic vociferantur: *Ergò errauimus à via veritatis. Quid profuit nobis superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transferunt omnia illa tanquam umbra.* His ponderatis elicienda contritio ex puro amore Dei, vt & in sequentibus punctis:

II. Expende quam sublimis, profunda & incomprehensibilis sit illa Dei bonitas & amabilitas in omni ratione boni & amabilis; vtpote cui omnis bo-

nitatis, & amabilitas, quæ in creaturis omnibus, etiam possibilibus, posset reperiri aut concipi, nulla sit collata huic infinitæ bonitati & amabilitati Dei, cum hæc infinita sit & indefectibilis, quæ nec deficere, nec augeri, nec minui queat: insuper non creata & accidentalis, sed increata & substantialis, imò realiter idem cum Deo: illa verò sit finita & defectibilis, creata & accidentalis, quæ reipsâ deficit, nec unquam in eodem statu permanet. Quanta ergo iniuria infertur infinitæ Dei amabilitati, cum despicitur & conculcatur amore vilissimæ bonitatis in creaturis apparentis?

III. Expende, quàm longæua sit hæc ipsa Dei amabilitas & bonitas, videlicet coæterna ipsi Deo. Quanta ergo dementia est, quanta temeritas, momentaneam voluptatem gloriolamve illi præponere? Heu, quoties id fit à cæco peccatore, qui bibit quasi aquam iniquitatem? quoties is auertit se ab infinitè amabili creatore, & conuertit se ad abominabilem creaturam?

(. . .)

Domini.

## Dominica Quinquagesimæ.

De Christi passione prædicta, & cæco  
illuminato. Luc. 18.

Heb.  
dom.  
Quin-  
quagesi-  
mæ.

I. **C**Hristus ascēdens Ierosblymam, I. Medic.  
12. discipulis prædixit passio-  
nem, & resurrectionem suam, quorum  
illi nihil intellexerunt. Expende hîc  
paternam Christi erga suos providen-  
tiam, & charitatem, tam sollicitè de  
instanti passione discipulos, quorum  
fragilitatem, & in fide vacillationem  
prævidebat, præmonentis, & spe re-  
surrectionis ad imitationem animan-  
tis, simulque nos omnes ad piè reco-  
lenda, maximè hoc sacro instanti tem-  
pore, passionis suæ mysteria, & sua se-  
quenda vestigia invitantis. At quàm  
pauci etiamnum capiunt verbum hoc?  
quam multi cum furenti mundo insa-  
niunt, inimici crucis Christi, quorum finis  
interitus, quorum Deus venter est, & gl.  
ria in confusione eorum, qui terrena sapite  
Phil. 3.  
Quanta felicitas eorum, qui sensum  
Christi habentes; cum D. Bernardo o-  
mnia passionis eius mysteria iugiter  
L. s. men-

mente reholunt, & tanquam fasciculum myrrhæ inter vbera sua recondunt, quideque eius insistere vestigijs gestiunt. Quisquis ex illis es, grato animo tantam agnosce gratiam, medullitusque tot mundi amatorum pereuntium deplora insaniam.

II. Cœcum mendicum, licet à turba increpatum, clamantem, *Iesu fili David, miserere mei*, ad se adduci iussit, & sanauit: En typum generis humani, & cuiusuis peccatoris cæci, gratia Dei destituti, qui vt à Christo illuminari, & sanari mereatur, necesse est. 1. Vt agnoscat, quod sit *miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. 2. Vt velit illuminari & sanari, seu serio conuerti. 3. Vt hoc ipsum instanter, & constanter petat, & desideret, quantumuis mundus, caro, dæmon obstrepat. 4. Vt mundum conculcans cum vanis concupiscentijs, non honores, opes, voluptates desideret, sed veram cognitionem Dei, sui, rerumque diuinarum ad æternam salutem conducentium. O quanta Dei bonitas, qui hæc omnia pia desideria peccatori tam ingrato inspirat, quem tam misericorditer sanat! O quanta illi gratiarum actio esset merito referenda, quanta compunctio

Spec. 3.

cordis. de nostra ingratitude exci-  
randa?

III. Cæcus illuminatus, secutus est  
Christum, magnificans Deum, aliosq;  
exemplo suo, ad idem inducens. quan-  
ta exultatione spiritus, diuina mise-  
rante gratia, peccator illuminatus, & è  
luto fœcis extractus, diuinæ bonitati  
potiore iure gratias medullitus agere,  
Christi perfectissimam vitam quam  
proximè conari exprimere, aliosque  
omnes, quos possit, verbo, exemplo,  
oratione ad idem allicere deberet?  
Hæc affectu, & opere praesta, & sic te à  
Christo illuminatum proba.

Nota circa sequentes de passione Do-  
mini meditationes.

*Cum ad vberiores, solidioresque in per-  
pendendis singulis mysterijs Dominica pas-  
sionis discussus formandos, congruoque ex-  
ijs affectus efficacius eliciendos plurimum  
conducat, communiores in ea occurrentes  
circumstantias profundius penetrare, mo-  
dumq; affectus vnitiores perfectius fructuo-  
suq; eliciendi & continuandi perspectum  
habere, consultum erit, de singulis singulas  
meditationes, quasi proœmiales instituere,  
quales sunt sequentes satis prolixa & fertiles.*

## II. De personâ Christi patientis.

I. **F**ilius Dei, qui, vt ab æterno decreuit incarnari, ita etiã, in natura nostra assumenda, omnia, quæ passus est in tempore pro nobis, decreuit ab æterno pati, post assumptam etiam hypostaticè naturam humanam, eminentissimæ erat, supra omnes creaturas, etiam possibles, excellentiæ. Nam 1. quoad personam suam, erat naturalis filius Dei, ac proinde verus Deus; quoad naturam diuinam, æqualis cum Patre & sancto Spiritu immenitatis, æternitatis, infinitatis, incomprehensibilitatis, maiestatis, potentia, sapientiæ, bonitatis, iustitiæ, misericordiæ, sanctitatis: quoad humanam verbo vnitam, excellentissimæ supra omnes puras creaturas dignitatis, primogenitus electorum, exemplar omnium prædestinandorum, finis omnium creaturarum.

2. Quoad officia eius sublimissima, erat caput, & rex summus hominum & Angelorum, summus sacerdos, summus mediator, legislator, doctor, miraculorum patrator, discretor meritorum, iudex viuorum & mortuorum.

3. Quo-

3. Quoad animam, habuit ab initio conceptionis clarissimam Dei visionem cum amore & gaudio beatifico, in eminentissimo gradu; scientiam infusam maximam, quâ novit omnia præterita, futura, omnes, etiã intimas, omnium hominum & Angelorum, cogitationes, affectusque, quos habuere, habent, habebuntque in omnem æternitatem: deinde sanctitatem infinitam ob vnionem cum verbo, innocentiam summam, seu impeccabilitatem; gratiam sanctificantem sublimissimam cum omnibus virtutibus infusis sibi congruentibus, & charismatis sancti Spiritus, alijsque prærogatiuis in excellentissimo gradu: gratiam demùm capitis influendi in omnia membra subiecta, & vim merendi infinitam, quippè cuius omnia & singula opera, omnes passus, omnes cogitationes, omnia desideria essent infiniti valoris.

4. Quoad corpus, habuit id ipsum, utpote e purissimis B. Virginis sanguinibus opere Spiritûs sancti formatû, quoad complexionem, temperatissimum, & tenerimum: quoad formam, & staturam, formosissimum, & decorosissimum: quoad proportionem.

membrorum, decentissimum & gratiosissimum; quoad sensum ingenij; acrimoniam, phantasiam firmissimam, memoriam tenacissimam, intellectum perspicacissimum, sensus omnes vitacissimos.

5. Quoad reliqua externa bona, erat oriundus ex nobilissimo Patriarcharum sanguine, è regia stirpe Dauidica, ex sanctissima Virgineaque Matre prognatus; magnæ passim sanctitatis & innocentiae nomine celebris, tot miraculorum fama clarus, ideoque Propheeta magnus & Saluator mundi habitus; ob tot beneficia ægris omnis generis exhibita, vulgo carus; ob diuinam eloquentiam miramque morum suauitatem, & integritatem, etiam hostibus admirabilis; verbò omnibus merito gratiosus, summus contemptor opum, honorum, voluptatum, quas omnes, si voluisset, in manu habebat, atque his tot nominibus merito fuit immortalis, beataque vita, omni cultu, honore, amore, obsequio dignissimus.

Quanta ergò indignitas, talem ac tantum, tam indigna, acerba, infanda pati? quanta dignatio, talem se vtrò ad illa perpetienda offerre? qualis proinde Christo, ex gratuito amore, pro nobis

bis tam indigna patienti deberetur  
 compassio, gratitudo, amor, oblatio  
 sui, & zelus corpus, & animam eius  
 seruitio perfecte impendendi? Hæc ubi  
 ponderaris, elice hos ipsos affectus, e.  
 c. hoc vel simili modo. In præsentî per  
 5. genera suspiriorum, iuxta Indult. me-  
 dit. c. 7. §. 1.

I. O quàm incomprehensibilis digna-  
 tio tantæ sublimitatis tuæ, ô Iesu infi-  
 nitè suavis, misericors, & amabilis!  
 non possum illam ego, nec intellectu  
 comprehendere, nec affectu compen-  
 sare, nec vlla creatura id poterit in æ-  
 ternum. 2. Nihilominus medullitùs,  
 prout possum, totis medullis cordis  
 mei, condoleo tibi, tali ac tanto, talia  
 ac tanta, ex amore mei, patienti: doleo  
 de meis omniumque peccatis, vtpote  
 causis tuæ amarissimæ passionis: agno-  
 sco infinitam charitatem, pro qua in-  
 timas gratias ago: in compensationem  
 me totum, ceu holocaustum immolo:  
 cupio ardentè corpus, animam, vires,  
 & sensus omnes tuo impendere obse-  
 quio, seriò conando in triplici via  
 perfectionis proficere, aliosque pro  
 meo modulo, in eadem promouere.  
 Atque hæc omnia purissimè non in-  
 titu mercedis, aut supplicij, sed ex  
 mero

mero

mero amore tui; intensissimè, omni  
 possibili compassionis, compunctio-  
 nis, gratitudinis, amoris, totalis mei-  
 ipsius ad tuum seruitium oblationis  
 affectu: constantissimè inter prospera  
 & aduersa, inter desolationes, & con-  
 solationes, tota vita; insatiabilissimè,  
 quoad desideria supra vires hos om-  
 nes affectus crebrius, purius, intensius,  
 constantius exercendi in æternum &  
 ultra. 3. Neque id solum meo, sed om-  
 nium hominum & Angelorum, etiam  
 creandorum, si possem, affectu. 4. In  
 vnione intensissimorum similium af-  
 fectuum, quos vnquam habuere vlli,  
 aut habebunt vsque ad finem mundi.  
 5. Vtinam mecum hos, & multo in-  
 flammatiores, eliciant affectus omnes,  
 pro quibus Christus passus est.  
 II. Christus Dominus, licet ex se ef-  
 fet talis ac tantus, nihilominus, ex di-  
 gnatione, in passione sua diuinæ Ma-  
 iestatis suæ abscondit sublimitatem, &  
 hostibus humanæ carnis, in quam sa-  
 uire possent, obiecit fragilitatem.  
 Summam tristitiam in animam suam  
 beatissimam vtrò accersuit, corpus  
 suum tenerissimum, & innocentissimū  
 tam diris permisit torqueri tormentis,  
 impius, seductor, stultus, blasphemus,  
 pro-

proclamari, iudicari, condemnari sustinuit. ab omnibus sperni, illudi, opprobrijs proscindi, odio haberi, mortis reus iudicari, morte crucis affici voluit. his expensis renoua eosdem affectus, quoad tempus præteritum, modo supradicto Quis comprehendet illam tuam tantam dignationem, quis compensabit? nullus, nullus in æternum. heu, quod nec hoc saltem hucusque agnorim! heu, quod tam oscitanter affectus compassionis, compunctionis hæc meditans exercere curarim! doleo de hac mea tanta insensibilitate & ignauia, idque purè propter te, intense, constanter, insatiabiliter continuare desidero: & quidem non solum meo, sed omnium possibilium hominum possibili affectu. Utinam saltem pro aridis meis desiderijs aliorum feruentissima obtulissem! Utinam hæc omnia præstitissent mecum omnes, ac deinceps præstent perfectissimè.

III. Idem. misericordissimus Saluator, qui, dum pateretur, singulis Electis pretium meritorum suorum obtulit, & nunc efficaciter applicat, ex infinita erga omnes, & singulos, charitate; sponte has miras in se rerum distinctissimarum combinationes suscepit, & ad-

ad-

admisit, quarum 1. est naturæ diuinæ  
 imparibilis & immortalis, cum natura  
 humana patibili & mortali. 2. summi  
 gaudij cum summa tristitia. 3. summæ  
 gloriæ cum extrema ignominia. 4.  
 summæ innocentia cum dirissima pu-  
 nitione. 5. summæ sanctitatis cum su-  
 premæ impietatis falsa impositione.  
 6. summi amoris erga homines cum  
 summo eorum erga se odio. 7. vitæ æ-  
 ternæ beatissimæ, gloriosissimæ, cum  
 morte temporali acerbissima, ignomi-  
 niosissima. An non merito hæc pen-  
 pendens admirabundus exclamabis

*Abac.* 3. cum Abacuc propheta: *Domine considera-  
 rani operatus, & exparui.* (iuxta versio-  
 nem 70.) *In medio duarum vicarum cog-  
 nosceris?* An non, si pensculatius pon-  
 deres, Quis ex se, ex natura sua fuerit,  
 videlicet, Deus, quoad animam bea-  
 tus, rex gloriæ, infinitè innocens, san-  
 ctus, amabilis, omnis vitæ & beatæ im-  
 mortalitatis auctor: & quid ex digna-  
 tione propter nos fieri voluerit, nem-  
 pe homo, passibilis, opprobrium ho-  
 minum, & permiserit se nocentissimū  
 & impiissimum reputari, odio haberi,  
 dirè occidi; præstupore cum sanctis  
 Angelis exclamabis: *Quis est iste, qui ve-  
 nit de Edom tinctis vestibus de Bojra, iste*  
 fr-

*Isa.* 63.

*formosus in solâ suâ, quadiès in multitudi-  
ne fortitudinis suâ!*

His inter se tam miris combinatio-  
nibus collatis, prorumpe in prædictos  
affectus, proponendo eos in futurum  
ardentius frequentare, & re ipsa de-  
monstrare, cauendo hos vel illos defe-  
ctus, sic exercendo amorem, resigna-  
tionem per exhibitionem operis.

*De ijs, pro quibus, & à quibus Christus* III.  
*patitur.*

I. **C**Hristus ab æternitate decreuit,  
totâ vita desiderauit, tempore  
passionis pati dignatus est, tam indi-  
gna, tam atrocita primùm pro omnibus  
hominibus, culpâ suâ vilissimis, abie-  
ctissimis, miserimis, cum possent, si  
vellent, esse ex gratiâ nobilissimi, ho-  
noratissimi, felicissimi.

Nam 1. ex gratiâ insigniti erant ima-  
gine Sanctissimæ Trinitatis, & in fi-  
lios Dei, in protoplastis parentibus,  
ante lapsum, adoptati, plurimi etiã  
tales in Christo per baptismum rege-  
nerati: at culpa sua assumpserunt cha-  
racterem diaboli, & facti sunt eius ser-  
ui, & iræ filij.

2. Iure hæredes erant regni cœlestis  
ex

ex

ex gratia : at reatum gehennæ ignis contraxerunt malitia sua.

3. In honore erant apud Deum, & Angelos, ob communicatam sibi gratiam: at per peccatum facti opprobrium Dæmonum, æternam incurrerunt ignominiam.

4. Ex gratia donati erant innocentie stola: at hanc fœdarunt & perdiderunt incuria sua.

5. Ex gratia ornati erant fide, spe, charitate, alijsq; charismatis, quibus, si vellent, ad insignem possent pertinere gradum sanctitatis: at proteruita sua his uti noluerunt, & in profundum iniquitatum omnium se præcipites dederunt.

6. Amabiles ob gratiam erant Deo, & Angelis; execrabiles Dæmonibus: at sponte sua maluerunt gratia & amicitia Dei excidere, & dæmonum amicitiam ambire.

7. Vitam æternam ac beatam filiorum Dei in manu habebant, nam *Dei. 1. 12* potestatem filios Dei fieri: at ipsi elegerunt potius æternam mortem inimicorum Dei.

Deinde hæc decrevit, desideravit & dignatus est pati pro ingratis, i. pro tot donis naturæ, quæ illi in arma,

*Ioan. 1.*

ma, quibus in ipsum insurgerent, erant conuersuri. 2. pro tot charismatis gratia, quibus erant vel abufuri, vel oscitanter vsuri. 3. pro tot promissis bonis gloria, quibus se indignos erant reddaturi. Denique pro hominibus tanto beneficio indignissimis, 1. ob tantam prædictam ingratitudinem 2. ob tantam abominandorum scelerum multitudinem. 3. ob tantam eorundem enormitatem. 4. ob tantam tot nolentium respiscere proteruitatem 5. ob tantam æternarum blasphemiarum tot damnandorum atrocitatem.

O verè inæstimabilis charitas Saluatoris nostri, quam non potuerunt extinguere tantæ aquæ ingratitudinum, tot flumina immanium flagitiorum, præsertim cum hæc omnia clarissimè semper ob oculos eius versarentur! cuius cor lapideum non moueatur ad compassionem, compunctionem, amorem, proficiendi in spiritu feruorem, sic Christum, sic se alloquentem attentè audiat!

En ego, natura Filius Dei & verus Deus, dignatione filius hominis & verus homo, tanta patior pro te, qui eras ex gratia Filius Dei, hæres regni, cælo honorabilis, innocentia clarus, amabilis

lis

lis Deo & Angelis, confors beata immortalitatis, ac culpa tua factus es mancipium diaboli, reus gehennæ, abominabilis incolis cœli, victima orci. Quot donis naturæ & gratiæ sic es abusus? quoties contempnisti, & tam temerè perdidisti tot coronas, quas tibi tanto pretio comparavi, incôparabilis gloriæ? Quoties respuisti oblatam tibi respiscendi gratiam? Revertere nunc tandem ad me & suscipiam te. His expensis excita prædictos affectus.

**H.** Christus simili modo ab æterno decrevit, tota vita desideravit, & in tempore pati dignatus est singula ab illis omnibus, à quibus passus est, talibus, ut supra, tam vilibus, ingratis, indignis, & quidem à summis, medijs, infimis; à principibus & plebeis; à sacerdotibus & laicis; à militibus, licitoribus, apostata Iuda, diabolis seu principibus tenebrarum harum, quorum tantam erga se invidiam, odium, rabiem, tantam pro tot beneficijs ingratitudinem, tantam scelerum immanitatem, tantam mentis cæcitatem, tantam in pessimâ voluntate pertinaciam, tantam æternorum suppliciorum ipsis luendorum atrocitatem clarissimè intuebatur: cum tamen eos, acceptis dæ-

moni-

monibus obstinatis, & tenerrimè amaret, & ardentissimè eorum salutem desideraret. Renouandi & hic affectus prædicti.

III. Idem demùm misericordissimus Saluator, omnia, quæ passus est, ab æterno applicare voluit, & in tempore applicauit, & nunc etiam applicat, peculiari modo singulis Electorum ex gratuita misericordia, non obstante tanta nonnullorum ex ipsis ingratitude, tanta delictorum numerositate & grauitate, tantâ in eius seruitio tepiditate. An non & te vnum ex illis agnoscis? si sic, agnosce culpam, deprecare veniam, mirare eius bonitatem, tuam obstupescere stupiditatem, & subiunge affectus compunctionis, gratitudinis, amoris, zeli proficiendi in spiritu, & in particulari hæc vel illa emendandi, reformandi, &c.

*De ijs, quæ Christus passus est generatim.* IV:

I. **C**Hristus vti ab æterno pati voluit, ita in tempore sponte sua passus est in anima sua, quantumuis iugiter clara Dei, visione, amore & gaudio beatifico perfruente, peringens miraculū maximos dolores, mærores, ango-

ango-

angores ; & quidem potissimum quadruplices. 1. Ob atrocitatem cruciatuum, quam diram morte sibi imminenti, quæ velut presentia presentiebat. 2. Ob enormitatem offensarum diuinæ Maiestatis & scelerum totius mundi, quæ sibi luenda præsciebat. 3. Ob compassionem Matris, discipulorum, omniumque Electorum, quorum dolores, afflictiones, persecutiones, ærumnas, nonnullorum etiam lapsus, infirmitates, tentationes, diros cruciatus atrocesque dolores, quos quasi coram cernebat. 4. Ob multitudinem damnandorum, quibus, ob eorum peruersam voluntatem, obstinatamque malitiam nihil profuturam suam passionem præuidebat.

Magnitudo porro singulorum horum dolorum æstimari potest, ponderando eorum latitudinem seu multiplicitatem; sublimitatem seu intensiorem & grauitatem, longitudinem seu diurnam durationem; profunditatem seu incomprehensibilitatem & insatiabilitatem.

*Latitudo* ergo horum quadruplicium dolorum fuit, tanta multiplicitas tot dolorum, cruciatuum, opprobriorum Christo subeundorum, tot peccatorum

rum ab origine mundi vsque ad eius consummationem commissorum & committendorum : tot afflictionum, persecutionum, ærumnarum suorum Electorum : tam innumerabilis penè multitudo damnatorum & damnandorum.

*Sublimitas* illorum dolorum fuit tanta singulorum intensio & atrocitas, ob tantam tormentorum & opprobriorum Christo tolerandorum immanitatem : ob tantam afflictionum, persecutionum, cruciatuum, ærumnarumque animarum Electis suis perferendarum grauitatem : ob tantam suppliciorum damnandis sustinendorum acerbitatem.

*Longitudo* fuit tam diuturna duratio multiplicium illorum dolorum, ob prædictorum causas, intensissimum : quia durarunt toto tempore passionis, ab ingressu in hortum montis Oliueti, cum dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*, vsque dum in cruce expiraret, testans se à Patre derelictum; immò, aliquo modo, ab instanti conceptionis totâ vitâ vsque ad mortem, cum prædicta omnia semper clarissimè, quasi coram intueretur; insuper, eum ab æterno ad hos dolores vltro

M

assu-

assumendos paratus fuerit, ideoque tot figuris & prophetijs passionem suam prænunciari voluerit, quoad liberalissimum Filij Dei desiderium, fuit eorundem dolorum, vti & omnium aliorum cruciatuum, æternâ salutem in voto duratio.

*Profunditas* est, incomprehensibilitas & insatiabilitas eorundem, quod videlicet Christus verus Deus, & verus homo, verè quoad animam beatissimus, potuerit & voluerit, simul cū infinito & ineffabili gaudio, quo iugiter fruebatur, pati tam atroces dolores: deinde, quod multò plures, grauiiores, diuturniores pati amore Patris & salutis nostræ, si ita diuinæ sapientiæ placuisset, paratissimus fuerit, idque cum insatiabili zelo gratificandi æterno Patri desiderauerit.

His expensis æstima quàm immensos, intensos, perennes, insatiabiles affectus compassionis, compunctionis, resignationis ad omnis generis desolationes & aduersitates forti animo ferendas te frequentare par esset amore Saluatoris tui, qui amore tui se in abyssum tot temporalium dolorum, & angorum præcipitare non dubitauit, ac tu abyssus æternorum luctuum &

tot-

tormentorum absorbereris : simulque prædictos affectus excita.

II. Similiter in corpore suo sanctissimo, innocentissimo, tenerissimo, ab æterno pati voluit, & in tempore passus est maximos cruciatus simili ratione secundum quatuor dimensiones expendendos.

1. Quoad *Latitudinem*, tam multiplices & varios in omnibus sensibus & membris corporis, in captiuitate, flagellatione, coronatione, baiulatione crucis, crucifixione.

2. Quoad *Altitudinem*, tam intensos propter singulorum summam atrocitatem : propter tenerissimam corporis complexionem; omnium sensuum eximiam viuacitatem.

3. Quoad *Longitudinem & Profunditatem*, tam diuturnos, ob iugem eorum tota vita præuisionem; incomprehensibiles & insatiabiles ob corporis eius vniti verbo infinitam dignitatem, & insatiabilem plura & diriora patiendi cupiditatem.

His ponderatis subiungendi affectus gratitudinis, amoris, zeli imitandi Christum in eximia patientia dolorum, laborum, ærumnarum.

III. Simili ratione, quoad famam ab

æterno pati voluit, & in tempore passus est maximas iniurias.

1. Ob multitudinem & varietatem calumniarum, irrisionum, opprobriorum, contumeliarum illi irrogatarum.

2. Ob enormitatem earundem, quæ æstimanda non solum ex singularum gravitate, sed etiam ex summa eius innocentia & eximia fama sanctitatis, doctrinæ, sapientiæ, miraculorum, quæ clarebat; ex infinitâ dignitate illius personæ; earundem contumeliarum firmissima apprehensione.

3. Ob diuturnam nonnullarum, apud impios, durationem &c. vt supra. Affectus compassionis, zeli imitandi Christum in tolerantia iniuriarum, contemptu sui.

V.

*De causis, cur Christus passus.*

Causæ mouentes Filium Dei, vt æterno decerneret, in tempore desideraret & dignaretur tanta pati, triplices possunt expendi.

1. Ex parte Filij Dei, mouerunt ipsum ad tam amarum calicem passionis appetendum, arripiendum, ebibendumque immensa eius bonitas, gratuita

tuita misericordia, infinita charitas, quâ ferebatur in Deum patrem, hominesque vniuersos, quos à patre ardentissimè diligi videbat. Quis latitudinem, longitudinem, & sublimitatem huius tam immensæ, æternæ, infinitæ, incomprehensibilis bonitatis, misericordiæ, charitatis intellectu assequatur? nullus, nullus, ne quidem illuminatissimi Cherubini. Quis dignos admirationis, gratitudinis, amoris rependat affectus? nemo in æternum, ne quidem ardentissimi Seraphini, pro modulo nihilominus tuo, quantum potes, tantum aude.

II. Ex parte æterni Patris impulit eum ardentissimus zelus amorem suum erga Patrem excellentissimè testificandi, diuini eius beneplaciti perfectissimè exsequendi, & gloriæ longè lateque, eminentissimo modo, propagandæ, cum enim videret hæc omnia se allecurum, si illa omnia, & singula in numero, pondere, & mensura, pro humano genere reparando pateretur, quæ ab æterno Patre ad satisfaciendum diuinæ Iustitiæ præfinita sciebat, obtulit se ab æterno non solum ad illa omnia & singula promptissimè perpetianda, sed ad multò etiam plura, duriora

rora & atrociora, si diuinæ eius volū-  
tati placuisset; ideoque tota vita tanto  
affectu ad tormenta illa & opprobria  
anhelauit, & tempore passionis tanta  
alacritate excepit, cum insatiabili de-  
siderio plura & grauiora patiendi.  
Quia & tu, si Christo vis esse similis,  
hunc eius zelum strenuè æmularis?

III. Ex parte generis humani hæc eun-  
dem causæ, infinitæ illius æternæque  
misericordiæ, bonitatis, liberalitatis,  
charitatis indices, ad patiendum per-  
mouerunt.

1. Vt peccata nostra superabundantissi-  
mè ex rigore infinitæ iustitiæ expiaret,  
cum vnica guttula sudoris, aut sangui-  
nis suffecisset; simulque nos ab omni-  
bus malis culpæ, & pœnæ tam tempo-  
ralis quàm æternæ, peccata subsequen-  
tibus, plenissimè liberaret, modo nos  
ipsum tantas infiniti valoris satisfac-  
tiones nobis applicare dignaremur.
2. Vt nos inæstimabilibus bonis gra-  
tiæ & gloriæ largissimè ditaret, tuos  
coheredes regni cælestis conscriberet,  
eiusque possessionem supra rigorem  
omnem iustitiæ nobis infinito pretio  
pretiosissimi sanguinis sui compara-  
ret.
3. Vt exemplo suo nos doceret modū  
vit-

virtutes omnes in obiectis maximè arduis, tempore summæ desolationis, perfectissimo modo exercendi non solum agendo, sed & patiendò; & perseverandi in continuo studio Deo per omnia perfectissimè placendi, eiusque diuinæ voluntati nos conformandi, inter impetuosissimas etiam omnium ærumnarum, afflictionum, opprobriorum, cruciatuum, omnisque generis aduersitatum procellas, vique ad mortem etiam dirissimam & ignominiosissimam.

4. Ut omnibus sufficientem, Electisque superabundantem impetraret gratiam ad continuum, & quidem eximiũ progressum faciendum in triplici via perfectionis, iuxta exemplar ab eo nobis relictum, & consequenter ad eximias æternæ gloriæ coronas, & peculiare aureolas promerendas: & quidem singulis in particulari omnia & singula media tam suauia, mirabilia, efficacia, quibus ad prædestinatam sibi gloriam, deducuntur quotquot saluantur. Quid tam liberali munificentissimi Saluatoris tui charitati retribues? an non te ipsam paratissimum ad eum redamandum, imitandum, & cooperandum strenuè tot, tantisque

risque gratiæ auxilijs, ab eo tibi impetratis, per assiduum conatum in spiritu proficiendi?

VI. *De effectis & fructibus Dominicæ passionis.*

I. PRIMUS fructus Dominicæ passionis est maxima Dei glorificatio, & Christi, qua homo, clarificatio. Nam ex hoc tam admirabili diuinæ dignationis, miserationis, dilectionis excessu manifestissimè mundo innotescit infinita Dei bonitas, incomprehensa charitas, immensâ misericordia cum summa iustitia coniuncta: propter hunc excessum à tot electis tot iam sæculis suspicitur, colitur, amatur, glorificatur, & deinceps ad finem mundi simili ratione glorificabitur: quanto porro perfectius id fiet in extremo iudicio, coràm omnibus hominibus & Angelis congregatis: quanto eminentius æternum in cœlis?

Deinde ex eadem passione mira redūdat in sanctissimam Humanitatem Christi gloria, quia per illam meruit sibi eminentissimas gloriosi corporis dotes, & prærogatiuas, exaltationem  
nomi-

nomini summam super omne nomen, supremam iudiciariam in omnes iudicandos potestatem His consideratis, affectus congratulationis & gratitudinis exercendi.

II. Alter fructus est, maxima inde in Electos redundans auxiliorum ad omnimodam perfectionem consequendam efficacissimorum gratiæ plenitudo, indeque consequens plurimorum eximia vitæ sanctitas, meritorum copia, gratiæ sanctificantis excellentia, in bono perseverantia. Ex illorum enim infinitorum Christi meritorum oceano profluxere tot flumina diuersorum charismatum, & gratiarum; inde emanarunt, vimque omnem suam traxerunt, inclitæ virtutes & merita omnium Sanctorum, Patriarcharum fides, Prophetarum spes, charitas Apostolorum, constantia Martyrum, deuotio Confessorum, castitas Virginum, perfectio qualiscunque omnium saluandorum, & quidem, quoad omnes, & singulos gradus. Expende, quot & tibi inde prouenerint præsidia & charismata gratiarum, quibus oscitater es usus: agnosce, gratias age, & feruorem concipe applicandi tibi merita Christi, per pium usum Sacramentorum,

M s

per

per seriam passionis meditationem, piam ruminacionem, strenuam imitationem.

III. Fructus tertius est, eximia tot Electorum Dei, quoad animam & corpus glorificatio: nam omnes gradus beatitudinis animæ, tam essentialis, quam accidentalis, omnes item gradus gloriæ corporis, & extraordinariarum laureolarum omnium saluandorum, ex eodem illo inexhausto mari infinitorum Christi meritorum, per effusionem sanguinis & mortem consummatorum, profluxerunt, ac deinceps profuete non cessabunt, vsque ad vltimum electum in fine mundi futurum. Quanta laus & gratiarum actio reddenda foret Christo pro omnibus, & singulis gradibus tam inæstimabilis gloriæ, quos ipse singulos tanto pretio singulis Electis comparauit? quid non faciendum & perferendum pro illa gloriâ, quam Filius Dei pretio sanguinis sui mercari non dubitauit?

Electorum necessitates, ærumnas, tentationesque, quas semper ob oculos habuit, æterno Patri commendans.

O quos, & quàm sublimes amoris, zeli diuini honoris, resignationis, gratitudinis, reuerentiæ, submissionis erga æternum Patrem! quot & quàm ardentis commiserationis & dilectionis erga homines istic frequentauit, imò continuauit affectus! quàm inflammata desideria diuinæ Patris gloriæ propagandæ, & salutis omnium hominum promouendæ elicuerit! quàm amare omnium peccata defleuerit! quàm optârît & exorârît à Patre omnibus Electis eximiam perfectionem cum auxilijs ad eam consequendam requisitis! atque hæc omnia præstitit in hoc finem, vt sic peccata nostra occasione nimix cum hominibus familiaritatis contracta deleteret, ad amorem secessus spiritualis & crebræ renouationis spiritûs, seu recollectionis subinde instituendæ, maximè ante opus magni momenti auspiciandum, inuitaret; vberemq; gratiam proficendi in deuotione & familiaritate cum Deo omniq; sanctitate impetraret, ex amore maioris nostræ perfectionis & beatitudinis. En quid amore tui faciat.

aman-

amantissimas Magister tuus, & Saluator, & te illum redamare; & grato promptoque animo æmulari adhuc pigeat?

II. Christus verus legislator ibidem 40 diebus ac noctibus ieiunavit, ab omni prorsus cibo abstinens instar Moyfis, & Eliæ in oratione pernoctans, aut humi cubans, idque ex amore nostræ salutis, ut sic A læ, omniumque peccata, maximè gulæ, & nimiam corporis indulgentiam commissa expiaret; ad ieiunia, abstinentias, aliosque corporis afflictiones assumendas inciraret; ut gratiam ad id necessariam impetraret. Sic ille in se castigat peccata aliena, tu cur detrectes maceratione corporis expiare propria?

III. Triplici tentatione, gulæ, vanæ gloriæ, avaritiæ & ambitionis, simulque idololatriæ se tentari, & transferri è deserto in pinnaculum templi, & montem excelsum permisit, ex infinita dignatione, & dilectione erga Electos suos: ut eos ad tentationes quasuis perferendas superandasque animaret; ut robur ijs easdem eludendi, & generosè vincendi impetraret; ut, quo modo ijs resistendum, exemplo suo doceret, videlicet non curiosè auscultando, &

exa-

examinando diabolicas suggestiones, nec trepidando ad earum impetum, sed statim retundendo, vel aliqua veritate e SS. Scriptura deprompta, vel ad contrarium virtutis actum se resolvendo, vel reipsa eliciendo, vel assensum negando, vel ad alia seria se applicando. Agnosce Christi miram dignationem, qui per omnia nobis voluit similis fieri absque peccato, & imitari constitue fretus eius gratia, & Angelorum assistentia, qui Christo victori applauserunt, & ministrarunt.

*De Affectibus in Dominicâ passione meditanda maxime frequentandis.* II.

I. **C**onsidera quàm multiplices & eximij omnibus perfectionis vijs accommodari possint in expendendis Dominicæ passionis mysterijs excitari affectus Viæ quidem purgatiuæ compassionis, contritionis, zeli in puritate animæ proficiendi, peccata commissa expiandi & compensandi, committenda præcauendi, vitiosos habitus hos vel illos extirpandi, passionem effrenas has vel illas edomandi, tenta-

tentationes superandi: Viæ illuminati-  
 uæ imitandi absolutissimas Christi  
 virtutes, humilitatem, modestiam,  
 sui despicientiam, patientiam, iniuria-  
 rum tolerantiam, obedientiam, forti-  
 tudinem, & in aduersis constantiam,  
 aliasque id genus: Viæ vniuersæ gratia-  
 rum actionis, amoris Dei, & proximi,  
 resignationis, zeli gloriæ Dei, internæ  
 cum Deo vniõnis, & voluntatis nostræ  
 cum diuina conformationis. Et qui-  
 dem quam efficacia motiua ad illos  
 eliciendos suppeditent circumstantiæ  
 hucusque insinuata, quæ in omnibus  
 ferè passionis articulis recurringunt, si  
 attentè profundeque expendantur.  
 Quot eiusmodi affectus, & quan-  
 to cum merito frequentare potu-  
 isse ac debuisses, quàm repidè &  
 somnolenter hucusque eos frequentã-  
 ris, quàm feruenter deinceps frequen-  
 tare possis, si velis. Deinde excitato  
 dolore de præterita oscitantia, concipe  
 propositum eisdem affectus, per soli-  
 dos discursus in meditatione tantorũ  
 mysteriorum nouo feruore excitandi.  
 II. Considera quàm perfectè prædi-  
 ctos affectus iuxta exemplar Christi  
 eisdem perfectissimè inter patiendum  
 frequentantis, & continuantis, exer-  
 cere

cere potuisses, debuisses, & nunc merita deberes: Videlicet 1. latissimè, seu circa omnia obiecta, quantumuis ardua, saltem, quoad pia promptæ voluntatis desideria: 2. purissimè, seu ex purissima intentione Deo propter se perfectissimè placendi, & gratificandi. 3. sublimissimè, seu intensissimè, omni possibili, pro mensurâ gratiæ communicatæ, affectu & conatu: 4. longissimè seu constantissimè, inter prospera, & aduersa, tota vitâ, in æternum & ultra: 5. profundissimè, seu insatiabilissimè, insatiabili cum desiderio crebrius, purius, intensius, constantius, & eos frequentandi supra vires unni possibili omnium possibilium platurarum affectu, nunc, semper, æternum, & ultra. Deinde, quam efficaciam potuisses formare proposita hos internos affectus per diem frequentandi; & pro re natâ, cum actibus externis coniungendi tanto gratiæ & gloriæ incremento?

III. Considera, quàm facilè, & quanto cum merito, nunc hos, nunc illos affectus, nunc vnum seorsim, tibi magis necessarium, e. c. resignationis, per plures dies, nunc plures simul diutius continuare potuisses, ac deinceps posses,

ses,

ses, modò velis ( iuxta Industrias meditando c. 7 §. 1 ) secundum tres temporis differentias his modis 2. In presenti agnoscendo te non posse pro dignitate talem affectum, & c. gratitudinis, amoris, compassionis, resignationis humilitatis elicere. 2. nihilominus, pro modulo tuo, id conando. 3. Et quidem non tuo tantum, sed omnium, si posses, possibili affectu, e. c. gratitudinis, amoris. 4. similes affectus omnium piorum offerendo in vnione similium affectuum perfectissimorum B. Virginis & Christi Domini. 5. optando, ut idem tecum multò eminentius faciant omnes.

6. Quoad præteritum tempus, optando, te hæc prædicta singula frequentasse, & dolendo de pristina negligentia.

7. In futurum proponendo eosdem piè frequentare per diem, & reliquâ vita, & re ipsâ opere complere, hos vel illos defectus emendando, hæc vel illa faciendo vel patiendo, cum hoc pio sensu & affectu. Et his expensis concipe zelum hic affectuosè, & fructuosè deinceps meditando. Quot gradus gratiæ, & gloriæ posses hac ratione promereri in vna meditatione?

De

De præcipuis virtutibus in Christopho-  
niente imitandis, & de modo perfectè  
eas exercendi.

III.

I. **C**onsidera quàm variæ, & eximie  
in singulis penè Dominicæ pas-  
sionis mysterijs, virtutes resplendeant,  
quarum hæ præcipuæ; humilitas &  
despicientia sui profundissima, pau-  
peras & contemptus mundi extre-  
mus, patientia dolorum & mansuetu-  
do, tolerantia iniuriarum inuictissi-  
ma, obedientia quoad intellectum,  
voluntatem & executionem perfecti-  
sima, resignatio in manus diuini bene-  
placiti, quoad se, omnes, & omnia ab-  
solutissimas amor Dei, & zelus gloriæ  
diuinæ ardentissimus; amor proximi &  
zelus animarum summus. Quis singu-  
larum latitudinem, sublimitatem,  
longitudinem, profunditatem, vel an-  
gelico intellectu assequatur. Seu quis  
comprehendat, quàm latæ singulæ  
fuerint, quoad extensionem ad objecta  
omnia, & quidem tam ardua: quàm  
sublimes seu intensæ, quoad intensio-  
nem graduum: quàm longæ, quoad  
durationem continuam, à primo in-  
stanti

stanti conceptionis vsque ad mortem crucis, imò, vsque in omnem æternitatem, quàm profundæ seu insatiabiles quoad desideria heroica nunquàm exhausti. Has admirare, & à longè saltem, pro modulo tuo, æmulari propone.

II. Considera quàm eximia cum perfectione, quoad omnem dimensionem, singularum actus internos Christus patiens frequentarit, imò continuarit, quàm latè, purè, intensè, constanter, insatiabiliter, prout superiore meditatione, puncto secundo explicauimus. tantò, dubio procul, perfectius, & eminentius, quantò illuminatior fuit eius intellectus & inflammator affectus; quantò sublimior eius scientia, & eminentior gratia; quanto denique eius persona dignior, & æterno Patri gratior. Et hos suspice, imitari desiderare & propone, tuosque quantumuis imperfectos actus, eius perfectissimis infiniti meriti excessibus vnitos æterno Patri repræsenta.

III. Considera quàm perfectè earundem virtutum actus externos semper cum internis coniunctos exercuerit, quàm pura cum intentione, quàm vigili intellectus circumspectione, quam

quàm ardenti voluntatis deuotione,  
quàm seria omnium virium mentis, &  
corporis applicatione: quàm promptè,  
quàm alacriter, quàm constanter, &  
quidem circa obiecta maximè ardua,  
quauis data occasione, cum insatiabili  
insuper desiderio earundem actus fre-  
quentandi circa alia obiecta adhuc  
magis ardua, & naturæ repugnantia,  
imò circa omnia etiam possibilis, pro  
beneplacito æterni Patris, & modo  
affectuque, si posset, perfectiore & in-  
flammatione. O quam pretiosus ergo  
fuerit vel vnicus eius actus, humilita-  
tis, verbi gratia, quando demisit se ad  
pedes Iudæ proditoris sui, aut quando  
voluit Barrabbæ postponi! quot sub  
vnico tali actu externo elicuerit sub-  
limissimos internos variarum virtu-  
tum actus, quot heroica longissimè  
captum humanum excedentia deside-  
ria: quibus omnibus, & singulis quan-  
tam nobis promeruerit gratiam se in  
his imitandi? Hoc ergò desiderium in  
his Christum imitandi vel nunc  
saltem concipe, & con-  
stanter vrge.

(?)

De

IV. *De perfectionibus diuinis ex passione  
Domini præcipue relucen-  
tibus.*

I. **E**Xpende quàm eximie diuinæ  
perfectiones ex tam admirandis  
Filij Dei patientis mysterijs reluceant,  
nimirum infinita potentia, sapientia,  
bonitas, misericordia, iustitia, veritas,  
liberalitas, charitas. Etsi enim satis lu-  
culenter eluxit diuina potentia in  
mundi creatione; sapientia in illius gu-  
bernatione; bonitas in eiusdem con-  
seruatione; misericordia in paterna  
circa omnes creaturas prouisione; iu-  
stitia & veritas in Angelorum apostata-  
tarum & hominum peruersorum pu-  
nitione; charitas & liberalitas in veni-  
& gratiæ humano generi indulgentiæ  
promissione: multo tamen eminentius  
hæc omnia resplenduerunt ex volun-  
taria Filij Dei pro nobis incarnati  
passione. Potentia Dei manifestius in-  
de mundo innotuit, quod ex nihilo  
peccati Adæ & posterorum tantum  
potuerit elicere bonum, & ex tanta  
hominum contumacia, & malitia tan-  
tum miserationis & dilectionis exces-  
sum;

sum : Sapiencia, quod Filius Dei humanum genus occasione ligni scientiæ boni & mali seductum, & perditum per superbiam astu Dæmonis induti formam serpentis, tam miro & congruo medio, sese humilians, & mortalem nostram carnem induens reduxit, & reparavit per lignum crucis: Bonitas, quod optimo & excellentissimo modo voluerit perficere hoc opus nostræ redemptionis; Misericordia, quod tali remedio nobis quidem honorificentissimo, illi verò longè laboriosissimo voluerit reparare nostras tam multiplices æternasque miseras: Iustitia, quod vel unicum Adæ, vel cuiusvis posterorum peccatum voluerit expiare, tanta tot cruciatuum perfectione, tanta sanguinis profusione, ut satisficeret rigori diuinæ iustitiæ. Veritas, quod sic tot figuras, tot prophetias, tot sacrificiorum umbras ab origine mundi passionem & occisionem agni immaculati præsignantes luculentissimè impleuerit: Liberalitas, quod tot tantasque satisfactiones, quarum singulæ infiniti erant valoris, ad mille etiam mundos abundantissimè, & supra rigorem iustitiæ, redimendos, sic voluerit multiplicare, & nonnisi tam  
 N  
 atroci

atroci sanguinis profusione, iuxta decretum Patris, consummare: Caritas, quod hæc omnia præstiterit, & multo plura præstare paratus fuerit hominibus ingratis, inimicis infensissimis, ex gratuito æterni infinitique amoris affectu. His expensis admirare, quod tam mirè & clarè nobis Deus diuina sua attribura manifestare sit dignatus in tam ineffabili opere pietatis, gratias age, & de gloria inde in ipsum redundante exulta.

II. Expende, in quem finem Deus tali modo voluerit has diuinas suas perfectiones tam luculenter nobis ob oculos ponere, vt videlicet eum, seu finem, centrum, & omne bonum nostrum sic per lumen fidei euidentius agnosceremus, auidius expeteremus, feruentius amaremus, & omni obsequiorum genere perfectius glorificarem in terris, olimque, per lumen gloriæ, clarius eum videremus, beatius amaremus, delectabilius possideremus æternum in cælis, idque ex gratuita bonitatis & misericordiæ suæ beneplacito, non ex vilo nostro merito. O si hæc sæpè, & seriò perpendere-mus, quàm ardentis diuini amoris fa-

ce,

ces, quàm efficaces stimulos ad omnis generis pios affectus eliciendos animis nostris admoueri sentiremus, quàm efficacia in humili deuotaque diuinarum illarum perfectionum consideratione aut ruminacione contra omnis generis tentaciones superandas antidota nobis subministrari experiremur? Hic affectus amoris erga Deum infinitè bonum, sapientem, misericordem excitandus, cum zelo, illius honorem propagandi, omnibus cognitionem, timorem, amorem tantæ Dei bonitatis, misericordiæ, iustitiæ instillandi.

III. Expende quàm Christus, non solum quàm Deus, comprehenderit, sed etiam, quàm homo scientia infusa, & uisione beatifica semper hasce diuinas perfectiones intuitus sit, quàm demissè suspexerit, quàm reuerenter ueneratus sit: quàm ardentè ob illas Deum amârît, laudarit, glorificarit, quàm affectuosè æterno Patri, quod eas hominibus hac ratione reuelaret, gratias egerit, quàm zelosè agnitio- nem, timorem, amoremque earundem omnium cordibus imprimere desiderauerit.

Similia & tu desideria excita, eaque

N 2

per-

perfectissimis illius desiderijs vnita  
 ipsi perficienda commenda.

V. *De ardenti desiderio Christi anhelantis  
 ad passionem.*

I. **E**Xpende quàm ardens fuerit Filij  
 Dei patiendi desiderium ab ini-  
 tio Conceptionis , imò ab æterno,  
 quando acceptauit imperium Patris de  
 perficiendo opere redemptionis hu-  
 manæ per mortem crucis : eò dubio  
 procul ardentius, quò clarius videbat,  
 id cessurum ad maximam Patris Ele-  
 ctorumque gloriam ; & quò tenerius  
 eundem , & propter ipsum , Electos  
 omnes diligebat, ita vt iam tunc totis  
 præcordiorum affectibus exclamare  
 videretur : desiderio desidero omnia,  
 quæ mihi ab æterno præfinita sunt, pa-  
 ti; illudi, flagellari, crucifigi, mori; absit  
 mihi gloriari, nisi in alapis, flagellis,  
 opprobrijs, morte crucis. O quam im-  
 mensa Christi in nos charitas, quæ, vt  
 copiosissima esset nostra redemptio,  
 impulit illum , non semel tantum pati  
 pro nobis , sed penè infinities voto ac  
 desiderio ! Redama sic amantem, se-  
 quere per exercitium perfectæ religio-  
 natio-

nationis ad passionem anhelantem.

II. Quanto feruore hoc desiderium suum renouârit, & centies iterârit, quotiescunq; Ierosolymam veniebat; loca, in quibus passurus erat, oculis lustiabat: nempe montem Oliuarum, Caluariæ, vallem Iosaphat, montem Sion, palatium Caiphæ, prætorium Pilati, regiam Herodis; simulque omnia, & singula, quæ istic passurus erat, in numero, pondere, & mensura, quasi eorum cernebat, & viuacissimè apprehendebat. Quoties, quam feruenter se æterno Patri obtulerit ad illa omnia; quæ æterno decreto præfinita sciebat, perferenda? Quam meritò & tū, quotiescunque vel arma passionis, vel imagines Christi patientis intuens, illius recordaris, heroica desideria, ardua quæque pro illius gloria promptè patiendi, imò vltro appetendi, renouare deberes?

III. Quanto demum ex intimis præcordiorum medullis affectu hoc idem desiderium instaurârit, & millies frequentarit sub ipsum illud expectatissimum tempus, quo ex decreto Patris omnia, quæ de sua passione tot figurarum tenebris præfigurata, tot prociatorum vmbreis adumbrata, tot pro-

phetiarum inuolucris prædicta fuerant, erat completurus? Quanto gaudio exultarit *vi gias ad currendam viam suam*. Viam, inquam, passionis ac crucis, ad quam decurrendam exultans in terras descendit. è sinu Patris? dubio procul multo maiore alacritate & gaudio, quam vllus sanctorum Martyrum, quantumuis feruentium, ad tormenta pro ipso perferenda anhelarit? Renoua & tu desiderium propositumque patienter, libenter, gaudenter omnia, quantumuis molesta, aspera, sensualitati, propriæ existimationi, immò ipsis etiam naturæ omnimodo contraria de paterna Dei manu acceptandi, maximè instante occasione tale quid patiendi.

VI, *De consilio Iudaorum contra Christum habito. Matth. 26.*

I. **C**Hristus clarè intuens inuidiam, malignitatem, rabiemque in necem suam conspirantium, proditorium Iudæ animum, totumque instantis passionis successum, iterum præmonuit discipulos, inquit, *Scitis quia*

*Matth. 26*

quia post biduum pascha fiet, & filius hominis tradetur ut crucifigatur, idque ut ostenderet se sponte, non coacte mori, ex paterno amore, erga discipulos quidem, ne inopinata eius in manus hostium traditione nimium turbarentur, & quasi non posset euadere, scandalizarentur; erga nos vero, ut plaris tantam dignationem eius, se vltro ad mortem crucis offerentis, aestimaremus, & vehementius eundem redamaremus, ad maiorem nobis in cælo gloriam promerendam. His expensis, potest excitari compassio, amor, resignatio.

II. Principes sacerdotum & seniores populi in atrio Caiphæ congregati, consilium inierunt, de Christo dolo capiendo; & quo loco, tempore, oportunitate, absque seditione populi, eum ceu Prophetam magnum, & Messiam suspicientis, magnique æstimantis id posset executioni mandari. iuxta illud Psalmistæ: *In eo dum conuenirent simul aduersum me, accipere animam meam consiliati sunt*: Et iterum: *Dixerunt inimici mei, & qui custodiebant animam meam, consilium fecerunt in unum, dicentes: Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum. Quorum* *Psal. 30.* *Psal. 70.* *Gen. 37.*

Gen. 37.

typum gessere olim fratres Iosephi (vt Christi Iosephus) qui cum ad se venientem aspicientes, invidia stimulante de nece ei inferenda deliberantes dicebant: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum. Et tunc apparebit quid illi profint somnia sua.* O quanta veri nostri Iosephi innocentia, quanta benignitas, quanta charitas, qui dum infensissimi sui hostes sibi innocentissimo probrosam mortem machinantur, vicissim illis profusione sanguinis sui paratissimus est promereri ~~exeraam~~ *viram!* O quoties idem benignissimus Dominus noster, dum peccatores infandis sceleribus illum offendere nefarie parant, ipse ex *merâ* misericordia sua statuit mirè illos ad se reducere, & ad eximiâ sanctitatem euehere? agnosce similem eius erga te benignitatem, sic to gratuito amore præuenientem, & amore illius disce non reddere malum pro malo, sed vincere in bono malum.

III. Iudas huic malignantium consilio ultro se ingerens, inquit: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam:* illis constituentibus triginta argenteos, spondit se Christum traditurum. Quam id indignum discipulo facinus, quam ignominiosum Magistro? Quis tan-

tanta iniuria aestimet gratitatem? Filius Dei, legislator & doctor supremus, ipsa increata sapientia Patris pretii inestimabilis, à vilissimo terre filio, ingratisimo discipulo, stupidissimo mancipio venditur inimicis, eius sanguinem iam diu avidissime sitientibus, impulsore diabolo, ex sordida auaritia, pretio vilissimo triginta argenteorum, quod pro vita serui intercepti ab occisore pendi olim solebat.

Quam merito de hac iniuria conqueritur per Zachariam Prophetam: *Ap- penderunt mercedem meam triginta argen- Zäch. 11. tess: & per Amos: Vendiderunt iustum Amos 2. pro argento, & pauperem pro calceamento!*

O quanto viliori pretio etiamnum non raro venditur Deus ab ingratissimis peccatoribus per peccatum mortale pro exiguo lucello, vana gloriola, momentanea delectatiuncula! Ô quanta isthac creaturæ in creatorem contumelia! quanta dementia! Compatere filio Dei, dole de tanta eius iniuria, & simili tua & aliorum peccatorum.

sapius ipsi illata contumelia.

VII. De missione duorum discipulorum ad  
parandum Pascha, & valedi-  
ctione Matrifacta.

Mar, 14. I. **C**Hristus primo die azymorum è  
Bethania præmittit Petrum &  
Ioannem Hierosolyman ad paran-  
dum Pascha in domo, in quam introe-  
untes in ciuitatem viderent ingredi-  
entem hominem amphoram aqua  
portantem: idque primùm, vt nobis  
exemplum præberet accuratæ obedi-  
entiæ, parendo vsque ad extremum le-  
gi de esu agni paschalis mox abrogan-  
dæ: paupertatis item hospitium & o-  
mnia necessaria ad festum celebra-  
ndum emendicando, cum ipsius esset  
terra & plenitudo eius. Deinde, vt o-  
stenderet se non purum esse hominem,  
sed simul verum Deum; quod clarissi-  
mè absentia & futura prospiceret,  
omnesque omnium hominum volun-  
tates in sua manu haberet: demum, vt  
hospiti ampliorem merendi occasio-  
nem præberet, non solum iam coena-  
culum suum, sed deinceps etiam tan-  
quam commune discipulorum refu-  
gium offerendo. Quam sedulo Do-  
minus,

minus captat occasionem suos Electos ad perfectionem promouendi, ad sui imitationem inuitandi, & copiosius remunerandi? Quàm sedulum te quoque esse oporteret in æmulando tantam eius obedientiam, paupertatem, admirando, extollendo, & amore complectendo tantam eiusdem erga suos prouidentiam?

II. Mœstissimæ Matri valedicens insinuat instare tempus, quo susceptum redemptionis humanæ opus esset consummaturus, & omnia de se scripta in lege, & Prophetis adimplerurus, prout alias ipsi & discipulis manifestè prædixisset, idque ex intimo filialis amoris & compassionis erga eam affectu, quam supra omnes creaturas summè diligebat, & à quâ se vicissim tenerimè diligi sciebat; tum, vt aliquo saltem modo intensissimos eius, quos præuidebat, leniret dolores, cum iacula præuisa minus feriant; tum, vt vberiore illi perfectissimæ resignationis & sublimissimi meriti segetem subministraret: Hic expende quis sensus fuerit talis filij erga talem Matrem, & vicissim talis Matris erga talem filium. Quomodo vtriusque cor vno eodemque doloris gladio fuerit transfixum,

fixum, vno eodemque amoris actu liquefactum? quomodo in corde Matris inter se, de palmâ pugnarint affectus amoris erga filium dilectissimum, & resignationis in beneplacitum Patris sanctissimum? Ille opprobria, ludibria, tormenta, mortem tam truculentam & infamem Filio subeundam perhorrescebat; hic, vt non solum filium, sed in super seipsam, si ita placeret, iuxta voluntatem Patris, vltro ad hæc omnia perferenda offerret, instanter urgebat. Vicit tandem maternum affectum erga filium, heroicum desiderium implendi diuinum beneplacitum: ac proinde, licet amarius fleret, quàm Agar aspiciens filium suum Ismaelem morti vicinum; nihilominus multò generosius, quàm Abraham vnicum filium suum Isaac, progenitorem Messiae futurum, ipsa Filium suum vnicum Iesum, verum Messiam, verum Deum, & hominem obrulit, simulque seipsam æterno Patri in sacrificium. His ponderatis vtriq̃ compatere, & tam heroicam resignationem imitare.

III. Post valedictionem & consolationem Matri, vt & Mariæ Magdalænæ, Marthæ, & Lazaro impertitam, nullis se amicorum lacrymis in Bethania

nia detineri permisit, sed Hierosoly-  
 mam, ubi sibi ab hostibus sciebat infi-  
 dias strui, necem intentari, crucem pa-  
 rari, sub vesperum cum discipulis per-  
 rexit, ut, in quâ vrbe seipsum verum  
 agnum esset mox immolaturus, in ea-  
 dem agnum typicum extremum offer-  
 ret. Quam inflammatus Christus in  
 profectioe illa, intuens oculis cor-  
 poris loca suorum tormentorum, &  
 oculis mentis singulorum acerbita-  
 tem, & inimicorum suorum rabiem,  
 elicuerit affectus amoris, & resigna-  
 tionis erga Patrem, compassionis erga  
 discipulos, dilectionis erga omnes et-  
 iam inimicos. Gratum te exhibe, &  
 imitari stude.

Dominica II. Quadragesimæ. 2. Heb-  
 dom.

*De Chananæa filiâ. Matth. 15.* Quadra-  
 gesimæ.

I. **C**Hananæam Tyro & Sidone, uti  
 corpore, ita & morum conuer-  
 sione egressam, petentem cum magna  
 fide, humilitate, perseverantia filiam à  
 Dæmone liberari, nec verbo dignatur  
 Christus, ne quidem Apostolorum de-

N 7 pre-

precazione interposita; idque tum ad maius eius meritum & prædiciatum virtutum eius augmentum, tum ad nostram instructionem, ut disceremus magna fiducia, humilitate, patientia & constantia perseverandum in oratione, licet quod petimus, diu differatur, vel omninò negetur. O quam mira bonitas Domini, qui, quò suos Electos in hoc exilio varijs desolationibus & tentationibus, fortius probat, eò copiosius in patria æternum coronare parat? Quanta ergo fiducia, patientia, & resignatione desolationes ferendæ, & diuinæ providentiæ in omnibus acquiescendum?

II. Procidens illa, & adorans Christum, instanter vrget, quod petierat, inquit, *Domine adiuua me*: Ut canis repulsa, non desperat, sed humiliter se canem reputans, instar caellorum, micæ efflagitat. En quantum eius fides, humilitas, patientia, & perseverantia brevi per hanc probationem acquisuere incrementum? desiderari imitari, si vis exaudiri.

III. Admirans Christus ait: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* En quam verè (*regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?*) Vim sibi hæc:

hæc mulier intulit, talem repulsam  
tam fortiter ferendo; & vim Christo  
intulit, gratiam petitam importunè  
extorquendo. Quam porrò id gratum  
Domino, qui non modò id collaudat,  
sed tam superabundanter remunerat.  
O quàm immensa eius liberalitas in  
tales violentos raptores! non finit ille  
se superari, qui minima etiàm obse-  
quia longè supra condignum solet re-  
munerare! Redama tam liberalem Do-  
minum, & cum magna fiducia, humi-  
litate & resignatione, in paternæ eius  
providentiæ sinu perseveranter in  
omni aduersitate quære refugium.

*De esu agni Paschalis, & cœna ultimâ.*

Matth. 26. Luc. 22.

II.

**I** Christus Ierosolymam ingressus  
in cœnaculo grandi strato, &  
præparato, discumbens cum discipulis  
ultimùm cœnaturus, obseruatis accu-  
ratè omnibus præscriptis cerimonijs,  
videlicet stans, accinctus renibus, ba-  
culum tenens in manibus, festinanter  
comedit paschalem agnum, assum igni,  
cum azymis & lactucis agrestibus: si-  
mul-

mulque clarè intuens, firmiter apprehendens, profundeque penetrans omnia, & singula mox in se complenda, quæ mystici illius agni immolatione & manducatione præfigurabantur, nempe se instar illius agni mox apprehendendum, ab hostibus impetuosè irruentibus ad macellum rapiendum, flagellis excoriandum, in veru crucis extendendum, igne amoris, & doloris afflandum, toto corpore, ossibus tamè integris, luxandum & dilaniandum, hæc, inquam, omnia clarè intuens, expendensque, se promptissimè æterno Patri ad hæc omnia; immò multo plura, & maiora sustinenda obtulit: idque sponte, ex zelo illi gratificandi & obediendi; ex gratuito amore nostri, ut nos è diaboli seruitute liberaret, ad imitandum se in tam heroica obedientia & resignatione inuitaret, gratiamque ad id necessariam impetraret. His ponderatis, præmissis breuiter affectu compassionis, gratitudinis, amoris, potest prolixius continuari affectus resignationis ad omnia obiecta obedientiæ & patientiæ, quantumuis ardua.

II. Inter cœnandum ait: *desidero desideravi hoc Pascha manducare vobiscum,*

*ante-*

antequam patiar. dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. O immensus Christi in nos tam ingratos amor! Tam avidè anhelaui tam diu ad hanc ultimam agni typici manducationem, & paschalem cœnam, idèd solum, quia in ea exhibiturus erat seipsum edendum, utpote verum agnum in priore figuratum, & mox ab hac cœna se accincturus ad exhauriendum calicem amarissimæ passionis iuxta æterni Patris beneplacitum: cum tamen prævideret tam multos sanctissimum suum corpus & sanguinem tam indignè tractaturos, tam sacrilegè sumpturos; suæque passionis infinitum meritum tam multos blasphemè contempturos, impieque conculcaturos, idque ex inæstimabili amoris excessu erga paucos Electos. Renouandi & hîc prædicti affectus.

III. Christus turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: *Amen, amen, dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Et contristati valde cœperunt singuli dicere: *Nunquid ego sum Domine?* At ipse respondens ait: *Qui intingit mecum manum in parofsi de hic me tradet, Va homini illi, per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.*

En

En quo affectu commiserationis & dilectionis fertur Christus in Iudam? plus dolet de eius æterna perditione, quam de dira sibi instante passione emollire conatur durum cor eius amoris flammis, reuocans ei in memoriam beneficium Apostolicæ vocacionis: & terrere minis, ob oculos ipsi ponens supplicium æternæ damnationis, licet induratum eius prænotet in malo obstinationem. Hoc speculum intuens, zelum syncerum erga omnes etiã inimicos Deo lucrandos concipe, licet ingrati sint, & contumaces, vt possis verè cum Apostolo dicere: *Ego libentissimè impendam, & superimpendam ipse, pro animabus vestris, licet plus vos diligens minus diligar: non enim quero vestra, sed vos.*

2. Cor. 2.

III.

De Lotione pedum. Ioann. 13.

I. **C**Hristus surgit à cœna, ponit vestimenta sua, præcingit se linteo, mittit aquam in peluim ad lauandos discipulorum pedes. En quomodo Filius Dei, qui vt ab æterno decreuit, ita in tempore descendens è sinu Patris, surrexit ab accubitu infinitæ suæ æternæque beatitudinis, exi-

nanti.

naniens & humilians se posuit vesti-  
menta gloriæ suæ, & præcinxit se lin-  
teo humanitatis nostræ, & sic accinxit  
se ad lauandos nos à peccatis nostris  
in sanguine suo: nunc insuper se de-  
mittit ad lauandos, tergendos, exoscu-  
landosque discipulorum, etiam pro-  
ditoris, pedes: O quàm inaudita illa  
charitas, & humilitas! admirare gratias  
age; imitare.

11. Lauat Petro, primùm humiliter  
& fortiter recusanti, tandem minis  
compulso, & reliquis, etiam Iu-  
dæ ipsi pedes, omnibus tanta Do-  
mini & magistri sui dignatione con-  
specta attonitis, & tanto amoris in-  
cendio in lacrymas resolutis, ex-  
cepto Iudâ, callidè obstinatum su-  
um perfidumque animum dissimu-  
lante. O quam rarus, quam admi-  
rabilis fuit iste profundissimæ hu-  
militatis, & flagrantissimæ charita-  
tis excessus! quod magister disci-  
pulis, Dominus seruis, creator  
creaturis, tam seruile exhibere dig-  
natus sit obsequium, tanto tenerri-  
mi erga eos amoris, tam humili corpo-  
ris habitu, tam amabili vultu, eo fine,  
vt infinito suo erga eos amoris satis-  
face-

faceret, ad sui imitationem prouocaret, suo exemplo exstimularet, gratiam imitandi ijs impetraret? Quis tantum humilitatis, & fraternæ dilectionis exemplum queat non admirari? quis non gestiat imitari? His tamen omnibus non emollitur adamantinum cor Iudæ. Quam verè completum in eo il-

*Prov. 18.* lud; *Impius, cum in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Quoties & tibi spiritualiter simile dignationis & dilectionis officium exhibuit, exhibetque roties, animæ tuæ sordes in pœnitentiæ sacramento abluendo? caue ne ingratum Iudam imiteris, sed reliquos discipulos, mirificè tali exemplo ad redamandum & æmulandum tam piæ Domini inflammatos: Et supredictos affectus, admirationis, gratitudinis, amoris cum desiderio imitandi renoua.

III. Peracta lotionè resumens vestimenta sua, iterumque accumbens, facti sui rationem reddit, ad imitandum suauissimis efficacissimisque verbis eos exhortans: *Scitis quid fecerim vobis, Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci i vobis, ita & vos faciatis.* En quâ energiâ, quo affectu, quod docuerat exemplum, lo, nuac inculcat illis, & nobis,

vcl.

verbo, hoc nimirum præceptum suum de fraterna dilectione, cum intima humilitate coniuncta; sciens, hoc esse maximè necessarium, fructuosum, meritum, & medullitus optans, ut accurata eius obseruatione, & ingentes gratiæ & gloriæ thesauros nobis accumulemus, simulque proximos nostros hoc mutuæ dilectionis hamo è procelloso huius mundi pelago ad optatū æternæ salutis portum trahamus. Cur imitari pigeat, quod admirari delectat?

*De institutione SS. Eucharistiæ.*

IV.

Matt. 26. Luc. 22.

I. **C**Hristus Dominus præmissa cœna illa typica, & pedum lotionem, sciens, se mox à suis discipulis diuellendum, instituit nouæ legis sacrificiū simul & sacramentum omnium diuinissimum, tot figuris præsignatum, tot vaticinijs prænuntiatum, consecrando panem & vinum in corpus suum & sanguinem, simulque æterno Patri offerendo & discipulis porrigendo; idque, licet præuideret tam horrendos eius abusus, ex gratuito amore, & ardenti

denti desiderio, intimè se suis membris mysticis, seu fidelibus, per modum cibi, & potus vniendi: in hos fines Primò, vt perpetuum haberent sacrificium omnium sacrificiorum perfectiones eminentissimè continens, quo diuinæ Maiestati cultum exhiberent, gratias agerent, peccata expiarent, noua beneficia impetrarent; quod in super esset amoris sui mœmofynon, vitæ, passionis ac mortis suæ monumentum, & omnium mirabilium suorum memoriale sempiternum. Secundò, vt per participationem huius SS. Mysterij sibi optimo modo incorporarentur, in gratia confirmarentur, in sanctitate crescerent. Tertid, vt in vitâ haberent solidissimum solatium, è vitâ migraturi pretiosissimum viaticum, aternæque hæreditatis, & gloriosæ resurrectionis pignus nobilissimum. Quanta elucet ex hoc tanto mysterio sapientia Filij Dei, tam admirandum modum inuenientis nobis se in specie alimenti, ad nostram spirituales nutritionem & conseruationem, intimè coniungendi? Quanta potentia, tot admiranda in momento consecrationis huius mysterij amore salutis nostræ patiantis? Quanta bonitas

nitas & charitas eius, sic seipsum nobis totum cum omnibus suis satisfactio- nibus & meritis impertientis? Quanta- tus zelus salutis nostræ per seipsum pretium passionis suæ nobis sic appli- cantis? His expensis excitandi affectus admirationis, gratitudinis, amoris, de- uotionis erga venerabile Sacramentū.

II. Eodem tempore, vt hoc tantum mysterium ab Apostolis eorumque successoribus, vsque ad finem mundi in Ecclesia frequentaretur, consecra- uit Apostolos sacerdotes, ijsque con- tulit potestatem conficiendi & offe- rendi corpus suum, & sanguinem, præ- cipiens, vt id in sui memoriam face- rent per ea verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* idque ex insatiabili desiderio nobis passionis suæ fructus copiosissime applicandi, & nobis- cum sub sacramentalibus speciebus vsque ad consummationem sæculi rea- liter permanendi. Quanta Christi Do- mini charitas erga homines, quibus talem potestatem, non Angelis, indul- sit? Quanta liberalitas, quod sine vlla restrictione hanc ijs cōtulerit potesta- tem semper, & vbiq; tantum mysteriū conficiendi: quàm incredibilis digna- tio, & obedientia, quod ad Sacer- dotis

dotis

dotis ritè ordinari vocem infallibiliter præseus adesse dignetur? Renovandi & hic fere ijdem prædicti affectus.

III. Apostoli maxima cum reuerentia & submissione hæc sacrosancta mysteria de manibus Christi Domini sumpsere, vti & Christus ipse eadem cum ineffabili deuotionis excessu delibauit. Vbi considera quàm audentes fidei, humilitatis, gratitudinis, amoris, sui oblationis affectus Apostoli singulari gratia præueni elicuerint; quàm insolitis diuinæ lucis radijs intellectum suum collustrari, quàm miris diuini amoris facibus voluntatem inflammari, quàm ineffabili diuinæ dulcedinis impetu se totos in Deum rapi transformari que senserint: Quantomò eminentiores sensus affectusque incomprehensibilis deuotionis, amoris, exultationis sanctissima Christi anima persenserit? Quantomò perere de tanto mysterio à se in sponsæ suæ Ecclesiæ præsidium solatiumque instituto exultarit? Quos porro cælestes hymnos dixerint, quas laudes, quas gratias retulerint, & quomò mentis excessu, simul pro tanti libatione mysterij percepta, quis cogitando assequetur?

tur? Vtinam liceat à longe saltem imitari, quod non satis possumus admirari!

*De Ingressu Christi cum discipulis ad montem Oliueti. Matt. 26.*

*Ioan. 18.*

**I** Iesus post peractam hanc sacrosanctam cœnam, prolixum affectuosumque sermonem ad discipulos habuit, in quo tria munia præstantissimè obiuit: Magistri, Consolatoris, Aduocati: Magistri quidem, assiduum eximix dilectionis Dei, & proximi, solidæque deuotionis & orationis studium ijs inculcando: Consolatoris, eos ad patiendum suauiter & efficaciter animando, superuenturi Spiritus paraleti gratiam promittendo, brauium proponendo: Aduocati; ardentissimè pro ijs apud Patrem interpellando: idque totum ex incenso desiderio maioris eorum perfectionis, constantix, gratix, indeque resultantis maioris æterni Patris, & ipsorum gloria. Quàm auidè, quàm zelosè Apostoli, iam toti ante diuini illius epuli virtute accensi, singula amantissimi

O

Magi-

Magistri sui verba exceperint? quantum lumen, quantum spiritus robur, quantum solatium inde hauserint? quàm heroica desideria studendi eximiae dilectioni Dei & proximi, solidae deuotioni, absolutae resignationi conceperint? Eadem & tu concipe.

II. Completo sermone egressus Vrbe trans torrentem Cedron cum discipulis metu suspensus, perrexit ad montem Oliuarum, praedixitque scandalum, quod erant illa nocte passuri, maxime Petro, sibi praesidentiori, lapsum in trinam negationem, simulque illos ob id maestiores suauissimis verbis in spem erexit, mireque blando vultu animauit, sui quasi oblitus, & de eorum solum salute sollicitus. Et haec omnia quàm ardenti zelo obediendi & gratificandi aeterno Patri praestitit? quod indicat dicens: *Sed, vt cognoscat mundus, quia diligo patrem, & sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite eamus hinc.* Quanto compansionis affectu erga discipulos, maxime Petrum, quorum fragilitatem, lapsum, perturbationem coram cernebat? quanto desiderio transuadandi torrentem tot dolorum, opprobriorum, cruciatuum mortis, vt nobis impetraret oleum mi-

Ioa. 14.

misericiordiæ, & præsidia abundantis gratiæ, ex omnibus huius procellosæ vitæ fluctibus feliciter ad æternæ felicitatis portum enavigandi: Condo-  
le, gratias age imitari satage.

III. Assumpto Petro, Iacobo, & Io-  
anne progressus est ad hortum, reli-  
quis in villâ Gethsemane relictis.  
quanto vitiorumque dolore ob tale  
diuortium? at quanto maiore Christi,  
qui euentura omnia prævidebat? En  
ut secundus Adam innocentissimus  
anhelat ad hortum doloris, ad expian-  
dam præuaricationem primi, admis-  
sam in horto voluptatis? ad ostenden-  
dam nobis veram viam recuperandæ  
salutis per exercitium pœnitentiæ, &  
compunctionis; ad impetrandam no-  
bis copiosam gratiam se imitandi in  
ardenti zelo multa ardua faciendi, &  
patiendi, mortemque ipsam pro  
gloria Dei libenter oppe-  
tendi. Gratitude, a-  
mor, zelus imi-  
tandi.

IV. De tristitiâ & Oratione Christi in horto. Matth. 26. Luc. 22.

I. **I**ngressus hortum cœpit contristari & mœstus esse, tædere, & pa-  
uere, & dixit discipulis: *Tristis est anima mea, usque ad mortem: sustinete hic, & vigilate mecum* Quantus ardor Filij Dei pro nobis abundè satisfaciendi? qui, cum esset, quoad animam beatissimus, spontè se priuauit omni illo solatio, quod à superiore parte animæ in sensus dimanare solebat; habenasque laxauit naturali appetitui, ut, quantum ualefet, impendentia sibi mala auersatus, immensa tristitia absorberetur; idque, ut peccata nostra, maximè nimia effusione & sensuali delectatione commissa expiaret; gratiam veræ contritionis nobis impetraret; ad timorem mortis Dei causa subeundæ superandum nos animaret. Tristitiæ porro illius magnitudo ex eo æstimari potest, quod clarissimè, quasi coram uideret, firmissimeque apprehenderet, primò, tantam multitudinem & grauitatem peccatorum sibi luendorum. Secundò, tantam turbam, sua culpa damnandorum. Tertiò, tantam etiam ingratitude, & tepiditate multorum

torum saluandorum. Quarto, tantam atrocitatem afflictionum & persecutionum suis Electis subeundarum. Quinto, tam miserabilem perditionem populi tam dilecti, nominatim Iudæ. Sexto, scandalum discipulorum & inimicorum Crucis suæ. Septimo, mœstissimæ Matris, aliorumque sibi condolentiam acerbam afflictionem.

Ex horum omnium viuaci apprehensione quàm intensus extiterit in sanctissima illa & benedictissima Saluatoris nostri anima dolor, vt meritò dicere posset: *Cor meum conturbatum* Psal. 54. *est intra me, & formido mortis cecidit super me.* Et alibi: *Repleta est malis anima mea, & vita mea inferno appropinquauit.* Psal. 87.

Compassio, compunctio, resignatio ad omnis generis desolationes, angores, & tristitias æquo animo tolerandas.

II. Ipse auulsus ab ijs, progressus pusillum, quantum iactus est lapidis, positus genibus, procidit in faciem super terram orans, ac dicens: *Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Quanto maiore pauoris & angoris sensu, quanto intensiore humilitatis & deuotionis affectu, Christus coram

2. Para.  
20,

æterno Patre procidit, quàm olim rex Iosaphat ob imminentem sibi Moabitarum, & Ammonitarum exercitum, plenus timoris & pauoris se coram Domino in oratione prostravit, obsecrans ut hostium manus posset euadere? Quàm perfecta fuerit illa Christi resignatio, quoad omnem dimensionem; qua se æterno Patri offerebat ad omnia, quantumuis aspera, facienda & perpetianda pro quâcumvis paucis saluandis, licet singula eius merita essent infiniti valoris: idque ex purissimo, intensissimoque amoris & zeli diuinæ gloriæ affectu: quamdiu placeret: cum insatiabili desiderio amplius æterno Patri quauis ratione gratificandi. Humilitas, deuotio & resignatio imitanda.

III. Surgens ab oratione, nullo solatio à Patre accepto: reuifensque discipulos, inuenit eos dormientes præ tristitia, quos ad vigilandum secum & orandum denuò adhortatus, redijt ad orationem, dicens: *Pater mi, non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Deinde rursus reuifens discipulos suos dormientes eos iterum inuenit, relictisque illis, eorum fragilitati condolens, redijt tertium ad pristinam orationem, & quidem prolixius

lixius prosequendam. En quomodo vnigenitus Filius Dei omni omnino destituitur solatio à Patre non exauditur: à discipulis, etiã carissimis: somno grauatis, deseritur: tot insuper angoribus obruitur, vt meritò exclamare posset: *Aedificauit in gyro meo, circumdedit me felle & labore Sed & cum clamauero & rogauero, exclusit orationem meam. Et suspirii, qui simul contristaretur, & non fuit: & qui consolaretur, & non inueni.* Cur, quomodo, id tulerit, hic expendendum. Compassio, patientia in desolatione.

## De agoniâ &amp; sudore Sanguineo.

VII.

Luc. 22.

I. **T**ertium oranti Christo Domino apparuit Angelus de cœlo à Patre missus, confortans eum, proponendo illi passionis necessitatem, & secururam inde Patris, ipsius, Electorumque gloriam, similesque alias rationes, ipsi iam ante multò perspectissimas. O quanta dignatio Filij altissimi, tam demissè solatium ab Angelo, pro conditione humana admittentis! minorari se paulò minus ab Angelis non indignè ferentis! idque vt perspicue

O 4

osten-

ostenderet se verum esse hominem, solatio indigentem, veros se perpeti angores, & cruciatus contra quosdam hæreticos id perfidè negaturos: vt doceret nos, non dedignari etiã ab inferioribus sabinde dirigi, & animari: Vt declararet, quanti aestimandum sit quoduis lumen & solatium, quantumvis minimum videatur, diuinitus nobis communicatum, & quã certò perseuerantibus in oratione à Deo sperandum sit solatium & auxilium. Compassio, gratitudo, humilitas, & perseuerantia in oratione.

II. Factus in agoniã, prolixiusque orans, eò doloris & angoris redigi se passus est, vt sanguineus sudor ex omnibus eius venis, vbertim proruperit: *Et factus est sudor eius sicut gutta sanguinis decurrentis in terram:* idq; ob internum conflictum acerrimum vehementissimorum affectuum, timoris & mœroris, quos firma apprehensione mortis, tormentorum, opprobriorum, aliorumq; malorum sibi, suisque Electis imminentium spontè inteedebat; cum ignitissimis affectibus amoris, & zeli gloriæ Patris, & salutis humani generis, quos similiter viuã intuitione immutabilis decreti aeterni Patris,

Patris, eiusdemque immensæ gloriæ,  
& tam inestimabilis, æternæque tot  
Electorum saluationis, & glorifica-  
tionis, ex passione sua consecutura  
vehementius accendebat. Et quidem  
hos intensissimos agonix dolores  
spontè suscepit Filius Dei, in se bea-  
tissimus, ob has causas: 1. Ut testaretur,  
se, ceu verum hominem, verè  
mortem & cruciatus horrere, & cum  
timorem & tristitiam cohibere posset,  
velle nihilominus eiusmodi internum  
tolerare conflictum, ad nos instruendos,  
ut discamus tentationibus & pas-  
sionibus nostris, vsque ad sanguinem  
fortiter resistere; ingruentes difficul-  
tates in via perfectionis præmeditari,  
animumque ad eas superandas obfir-  
mare, ne præsentibus incautos nos ob-  
ruant. 2. Ut excessum liberalissimi sui  
erga nos amoris declararet, per viam  
apprehensionem omnium, quæ erat  
passurus, ex toto corpore cum ingenti  
dolore, instar myrrhæ primæ & pro-  
batissimæ, exprimendo sanguinem,  
priusquam à tortoribus, flagris, spinis,  
clavis violenter extraheretur, atque  
sic omnes dolores, & cruciatus sibi ab  
inimicis & carnificibus inferendos,  
spontè simul prælibando, non secus,

ac si iam simul omnes experiretur. 3.  
 Vt gravitatem peccatorum nostro-  
 rum, & diuinarum offensarum nobis  
 ob oculos poneret, non tantum lacry-  
 mis sed & sanguineo sudore, & tam  
 ineffabili doloris sensu eas in se expi-  
 ando; vt, quam intenso dolore nobis  
 expiandæ sint, exemplo suo doceret,  
 gratiamque ad id copiosam impetra-  
 ret. 4. Vt intimum compassionis sen-  
 sum erga sanctos Martyres, aliosque  
 Electos varijs tormentis & afflictioni-  
 bus exercendos ostenderet, quorum  
 omnium dolores in se suscipere & ex-  
 periri volebat. O quàm affectuosè tam  
 amabili Saluatori tuo compati, quam  
 serió peccata detestari; quàm ardentè  
 redamare sic te amantem, & imitari  
 meritò deberes? Compassio, compun-  
 ctio, gratitudo, amor, resignatio, vi-  
 ctoria sui in arduis.

III. Tertium surgit ab oratione ala-  
 cer & paratus ad ebibendum amarissi-  
 mum calicem passionis: discipulos præ-  
 tristitia iterum dormientes instar in-  
 dulgentissimi Patris aliquantisper si-  
 nit quiescere: *Dormite iam & requiescite:*  
 Et paulò post excitat. *Sufficit. Surgite,*  
*eamus hinc, ecce appropinquat, qui me tra-*  
*det.* O quanta illius bonitas, qui vt no-  
 bis,

bis requiem indulgeat, sibi curas & angores reservat! quanta pro nobis patiendi auiditas! quanta eius, quod in oratione concluderat, exsequendi alacritas! Amor, ardor patiendi, & proposita in praxin redigendi.

Dominica III. Quadragesimæ. 3. Hebdom.

*De demonio muto. Luc. II.*

*Matth. 12.*

Quadragesimæ.  
I.

I. **C**Hristus Dæmonium ex muto & cæco eijcit, calumniantibus id Pharisæis, at turbis admirantibus. Quanta miseria, non solum quoad corpus, sed etiã quoad animam, potestati diaboli sic in hominem sæuentis subiacere? Quã detestanda invidia, quæ, instar aranæ dulcedinem floris in venenum vertentis, ex bono semper elicit malum? quam amanda candida simplicitas, quæ omnia in meliorem partem interpretas, ex malo etiã elicit bonũ! Quanta gratia spiritaliter à diabolica Tyrãide liberari, quantò maior præservari, quã impertiri.

O 6 Chri-

Christus omni homini, quem lapsum in gratiam recipit, vel à lapsu præseruat, cum per quoduis lethale peccatum homo fiat diaboli seruus, cæcus ad videndam culpæ admittæ enormitatem, æternæque damnationis ceruici suæ imminentis discrimen, mutus ad confitendum, Deumque laudandum! Gratitude, compassio, fuga inuidiæ.

II. Iesus videns cogitationes eorum, calumnias sibi impactas pluribus rationibus refutat, quanta patientia, mansuetudine, zelogloriæ Patris & salutis eorundem, etiam calumniatorum, ne in errore perseverantes æternum perirent! Mansuetudo in proprijs ferendis iniurijs, zelus honoris Dei, & animarum, in peccatoribus instruendis, arguendis, conuincendis.

III. Extollens vocem quædam mulier de turba dixit: *Beatus venter, qui te portauit, & ubera qua suxisti!* Quam intrepidè, excluso omni metu Iudæorum calumniantium diuino afflata spiritu gloriam Christi & benedictissimæ Matris eius, defendit! quanto zelo gloriæ eius, quanto merito, quanto fructu? quam gratum id Christo fuit, qui alijs omnibus relictis ad  
vnam

nam illam se conuertit, dictum eius approbans, & beatam illam non obscure prædicans, dum ait: *Quinimmo, beati, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*, inter quos, & tu censeri mereris. Zelus gloriæ Christi & B. Virginis propagandæ singularis, & constans, absque vlllo respectu humano.

De proditione Christi. Matth. 26.

Ioan. 18.

II.

I. **C**Hristus Dominus, licet totus esset exhaustus sudore sanguineo, vt dicere posset; *Sicut aqua effusus Psal. 21. sum, & dispersa sunt omnia ossa mea:* prævideretque, se tota illa nocte, & postero die, absque vlla refocillatione tam varijs dirisque modis exagitandum, nihilominus intrepidè obuiam procedit sanguinario cætui satellitum & lictorum, quorum dux erat Iudas, vnus de duodecim, qui pro tesserâ dederat illis osculum, aliàs pacis signum. Quanta cœcitas proditoris, tam audacter festinantis ad tantum flagitium! Quanta charitas Saluatoris, tam alacriter properantis ad tantum supplicium!

O 7

cium!

cium ! Gratitude , amor, resignatio.

II. Permittit se osculo à Iuda tradi, quem suauiter amicum vocando , & pristinam gratiam illi præstitam in mentem reuocando reducere à cæpto scelere conatur: *Amice ad quid venisti: & efficaciter deterrere , indignitatem facti insinuando : Iuda, osculo filium hominis tradu ?* At perfidus ille nihil his motus, auaritia excæcatus, ad sceleratam turbam redit, quàm meritò de illo cum Propheta conqueri poterat: *Psal. 40. pacis mea, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem!* In quale profundum præcipitauit cupiditas proditorem, ex quo nullis blanditijs, nullis minis educi posset? In quale mare amaritudinum demersit charitas Saluatorem, ex quo non nisi per amarissimam mortem extrahi vellet! Horror ingratitude, amor Christi & crucis.

III. Malcho cæteris petulantius irruenti in Christam Petrus, educto gladio, auriculam dexteram abscidit in iussu magistri, qui mox cum eo compefcuit, Malchumque sanauit, declarans se nolle defendi profusione alieni sanguinis, qui suum fundere pro omnibus

nibus in mundum venerat; se acceptare calicem passionis de manu Patris, non de manu perfidi ludæ & impiæ cohortis; mansuetudinis, misericordiæ, amoris, etiam erga inimicos necem sibi machinantes, & perfectæ erga Patrem resignationis? quàm merito affectu & effectu exprimendus?

## De captiuitate Christi. Ioan. 18.

III.

I. Iesus milites & satellites cum lanternis, facibus, & armis stantes attonitos interrogauit: *Quem queritis?* & respondentes; Iesum Nazarenum, verbo suauissimo: *Ego sum*, prostrauit in terram, iterumque interrogans, idemque respondentibus dixit, *Dixi vobis, quia ego sum. Si ergo me queritis, sinite hos abire*; idque ex tenerrimo amore erga discipulos, ne illis quicquam mali inferretur; & zelo salutis erga impios sicarios, vt vel hoc saltem diuinæ potentia suæ indicio, eorum cæcitas illuminaretur, furorque comprimeretur, quamuis nec blanditijs molliendos, nec minis deterrendos præsciret. O quanta teneritudo amoris Christi erga suos Electos! Quanta lōganimitatis & misericordiæ magnitudo.

do etiã erga ingratos & reprobos!  
Amor, oblatio sui, detestatio ingrati-  
tudinis, obstinationis.

II. Exprobrauit illis prius, quã per-  
mitteret se inuadi, quod veniant cum  
gladijs & fustibus ad se comprehen-  
dendum, nec palã docentem in tem-  
plo sint aggressi. Deinde fecit: ijs po-  
testatem exsequendi: impia: suorum:  
principum consilia & iussa, prout  
vellent, dicendo: *Sed hac est hora vestra,  
& potestas tenebrarum*: quasi diceret,  
permitto me vobis ipsisque Dæmoni-  
bus, qui vos ad me perdendum insti-  
gant: idque, vt ostenderet se non coa-  
ctè, sed spontè; non ex necessitate, sed  
ex dignatione pati, iuxta illud Isaia:  
*Oblatus est, quia ipse voluit*: Deinde, vt  
probaret, se non purum hominem, sed  
verum etiã esse Deum, qui posset, &  
velleret, non solum eorum vim coercere,  
sed funditus etiã illos perdere:  
Demum, vt sic ad resipiscendum eos  
misericorditer iterum excitaret! O di-  
uina planè non humana etiã in ho-  
stes, charitas, mansuetudo, longani-  
mitas! Heu quod tam paucos habes  
æmulos!

III. Diffugientibus discipulis per-  
mittit se inuadi, capi, ligari, in terram  
deijci,

deijci, trudi, conculcari, confpui, indignissimisque alijs modis tractari à nefarijs illis lictoribus, & diaboli ministris, instar rabidorum canum, ferocientium vitulorum, furentium taurorum, rugientium leonum, in agnua mansuetissimum, innocentissimum, tenerimum, in regem gloriæ, in Filium Dei irruentibus: idque ex zelo salutis nostræ, ut sic peccatorum nostrorum vincula dissolueret, pro ijs satisfaceret; nosque in vinculis charitatis ad se amandum, & imitandum in humilitate, patientia, & obedientiâ absolutissima pertraheret. Quam verè hic impletum illud: *Circumdederunt me canes multi, consilium malignantium obsedit me. Circūdederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me: aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens: Et illud: Percute Pastorem & dispergentur oves Et, Fratres meos longè fecisti à me, & noti mei quasi alieni recesserunt à me.* Quàm meritò cum Ieremiâ plangenda nobis foret tanta regi nostro illata iniuria: *Spiritus oru nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: sub umbra tua vivemus in gentibus: Quàm heroicis Christus, dum hæc pateretur, affectus resignationis erga*

Psal. 21.

Zach. 13.

Iob 19.

Thren. 4.

erga

erga omnes, maximè electos, exercuerit? quam excellentes actus humilitatis & patientiæ internos cum externis coniunctos, dum sic conculcetur, direque vinciretur, frequentarit? *Compassio, compunctio, zelus in his imitandi.*

IV. *De Christi adductione ad Annam.*  
Ioan. 18.

I. **I**esus arctissimè ligatus ab impijs *Isicarijs*, mirificè, tanquam captâ prædâ, exultantibus, raptatus est per *Vallem Iosaphat*; & torrentem *Cedron*, adductusque per montem *Sion* ad *Annam Caiphæ* socerum. Quis cogitandò dimetiatur torrentem tam profundum, tot dolorum, opprobiorum & iniuriarum agno innocentissimo, à rabidis illis lupis interea illatarum? quis comprehendat, quam divinos affectus omnimodæ resignationis erga *Patrem*, compassionis intimæ erga suos tortores, omnesque reprobos, tenerrimæ dilectionis erga omnes *Electos* elicuerit: cum quasi coram videret omnia, quæ in hac valle & circumquaque olim in extremo iudicio,

cio, coram hominibus & Angelis vniuersis congregatis essent gerenda. cum clarè intueretur, quam multi, & quinam reprobi, quibus, & quam horrendis supplicijs, ob hæc vel illa peccata, à se forent adiudicandi, & æternæ maledictionis fulmine feriendi; quam pauci electi, & quinam, quibus, & qualibus æternæ gloriæ brauijs ob hæc vel illa merita essent donandi, æternæque benedictionis calculo beandi? quibus, vt accenseri merearis, annon meritò oporteret te tam rarum, tantæ patientiæ, mansuetudinis, charitatis, resignationis exemplum imitari?

II. In urbem magna insolentum militum & ministrorum vociferatione introductus sistitur Annæ, & legis doctoribus scientiâ inflatis examinandus; à Pontifice magno fastu interrogatus de discipulis, tacet, parcens eorum famæ; de doctrinâ verò, modestè respondens ad auditores remittit. *Ego palam locutus sum mundo, ego semper docui in Synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt.* Quam modestè, verecundè, humiliter vnigenitus æterni

æterni Patris assistit. coram timidis terræ vermiculis, quam intimo humilitatis sensu, & accenso eorum salutis desiderio?

III. Vnus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: *Sic respondes Pontifici?* cui Christus respondit: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, quid me cadu? paratus scilicet illi & alteram maxillam, si ita placeret, præbere, imò pro ipsius salute suam profundere sanguinem.* respondit porro ideo, ne pontificem iniuriâ affectisse videretur, sed ita modestè & mansuetè absque perturbationis signo, ut nemo iure posset offendi; & tam discretè & efficaciter, ut nihil posset contra opponi. Quam crudelis fuit illa à furibundo assentatore inflictâ Christo alapa, in tali confessu, ob iustissimum prudentissimumque responsum, cum tali applausu, quam ignominiosa, quam calumniosa, quam acerba? quomodo exhorruerit cælum & terra, ad tantam impij hominis audaciam? quomodo obstupuerint Angeli tantam filij Dei mansuetudinem, quod non illicò in sacrilegum caput ignes cælo dmitteret, ut Elias; non feris dilaniandum traderet, ut Elisæus; non

terrâ

terrâ dehiscente absorberi sineret, ut  
Moyles? Quo rubore suffusus fuerit  
innocentissimus agnus, summus pon-  
tifex, rex, doctor, & legifer noster,  
cum diuinum suum vultum, in quem  
desiderant Angeli prospicere, sacrile-  
gâ dextra maleferiati pontificis medi-  
astini temerari, liuore obduci, fœdeq;  
intumescere sentiret, nec à quoquam  
circumstantium tantum scelus impro-  
bati, sed potius applausu approbari  
cerneret? Quis pro dignitate suspi-  
cere, laudare, venerari, amare & imitari  
queat tam inuictam mansuetudinem,  
tam raram longanimitatem, tam inex-  
tinguibilem erga hostes etiam pro-  
teruissimos charitatem, quam Filius  
Dei tunc exhibuit, atque etiamnum  
quotidie exhibet erga tot peccatores  
deliberatè peccando mortaliter, diui-  
nissimæ eius faciei sacrilegè tot ala-  
pas infligentes? Compasio, compun-  
ctio cum horrore peccati, amor, zelus  
imitandi mansuetudinem, & cha-  
ritatem, etiam erga ini-  
micos & calumnia-  
tores.

*De*

V. *De Christi deductione ad Caipham.*  
Matth. 26.

I. **I**esus ab Annæ domo à satellitibus tumultuosè vociferantibus, proterueque illi insultantibus, accurrentibus passim ad rei nouitatem spectatoribus, ligatus, vultu liuido, impressa sacrilegæ alapæ vestigia circumferens, adductus est ad Palatium Caiphæ summi Pontificis, vbi Scribæ, & Seniores, & Pharisei conuenerant de modo Christum falsis calumnijs obruendi, atque è medio tollendi deliberantes: quorum funestas contra se machinationes, malitiosissimas adinventiones, & plusquam caninam rabiem cum intimè perspiceret, quanto doloris sensu tantam eorum deploraret malitiam, æternamque illi debitam pœnam! quoties ingemuerit non ob contumeliam & mortem sibi, sed æternam confusionem perdicionemque illis, & omnibus peccatoribus imminentem? Comparsio, dilectio persecutorum.

II Christus variè, falsò, cõtumelioseque accusatus à falsis testibus subordinatis, vti olim Naboth iustus iussu Iezabelis,

belis, nihil respondit, implens illud:  
*Factus sum sicut homo non auariens, & non* *Psal. 37.*  
*habens in ora sua redargutiones, intimè*

illorum tantæ malitiæ, & cæcitati  
 compatiens, omnium nostrum in pec-  
 cando proteruiam deflens & expians,  
 inuictæque patientiæ in tolerandis  
 iniurijs nobis exemplum exhibens:  
 adiuratus verò, per Deum, vt confite-  
 retur an esset Christus Filius Dei viui,  
 clarè fassus est se esse, addiditq;: *Amodo*  
*videbitis filium hominis sedentem à dextris*  
*virtutis Dei, & venientem in nubibus*  
*cæli:* ne videlicet se purum hominem,  
 qualem tunc præ se ferebat, esse crede-  
 rent, licet sciret sibi ob hanc confessio-  
 nem tot opprobria, tormenta, mor-  
 temque imminere, idque ex zelo glo-  
 riæ Patris, nostræque salutis, quæ ex  
 hoc eius responso pēdebat Tolerantia  
 iniuriarum, zelus honoris Dei, deside-  
 rium martyrij.

III. Tunc princeps Sacerdotum sci-  
 dit vestimenta sua, dicens: *Blasphe-*  
*mauit, quid adhuc egemus testibus. Ec-*  
*ce nunc audistis blasphemiam, quid vo-*  
*bis videtur.* At illi respondentes dixe-  
 runt: *Reus est mortis; implētes nimirum*  
*illud; circūueniamus iustum, quoniā inu-* *Sap. 2.*  
*tilis est nobis, & contrarius operibus nostris:*  
 & im-

& im-

*Et impropere nobis peccata legis. Et filium Dei se nominat, morte turpissima condemnemus eum. Quò doloris sensu iniustissimam hanc ex malitiosissimâ mente prolatam mortis sententiam exceperit Dominus, scrutans corda & renes, eorumque salutem tam ardentè desiderans! quantò nihilominus humilitatis, mansuetudinis, amoris excessu tanquã de manu amantissimi Patris acceptãrit: idque ex gratuitâ misericordia, ut nos ab æternæ mortis sententia liberaret. Admirare, gratias age, imitare.*

VI. *De toleratis à Christo in domo Caiapha.*  
Matth. 26.

I. **P**ostquam Filius Dei tanquam blasphemus, & reus mortis à concilio condemnatus, quinque insignibus contumelijs est affectus. 1. conspuerunt in diuinam faciem eius ipsi Seraphinis tam venerabilem, & quidẽ vilissimi & improbissimi homunciones, de quibus meritò queritur: *Abominantur me, & faciem meam conspuere non verentur, quod passim heu imitantur tot peccatores!*

Porrò agnus mansuetissimus hæc  
omnia

omnia foedissimè sputa singulari modestia & vultûs serenitate excipiebat, implens illud: *Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conspuentibus in me.* *Isa. 50.*

2. Velant benedictam faciem eius, qui est splendor gloria Patris, & figura substantia illius, vt proteruius illi illuderent, vt etiam faciunt nonnulli Dei præs-

sentis & cuncta cernentis immemores, dicentes, si non verbo, saltem facto. *Nubes latibulum eius, nec nostra considerat.* *Iob. 22.*

3. Colaphis, alapis, palmis eum ceciderunt & contuderunt, & quidem multi certatim, impetuque maximo, quasi ex zelo blasphemiae vlciscendæ, vt impleretur illud: *Dabit percipienti se maxillam, saturabitur opprobrijs:* at ille implens consilium à se

datum, percipienti dexteram, præbebat & sinistram. 4. Barbam & capillos ipsi euulserunt, iuxta illud: *Dedi corpus meum percipientibus, & genas meas vel-* *Isa. 50.*

lentibus. 5. Verbis irrisorijs eidem insultarunt: *Prophetiza nobis Christe, quis est, qui te percussit?* Et alia multa blasphemantes dicebant in eum, quæcunq; infernalis furor suggerebat, implentes illud: *Aperuerunt super me ora sua, & ex-* *Iob. 16.*

*probrantes percusserunt maxillam meam. Satiati sunt pœnis meis.* Hæc omnia tot

ac tanta opprobria ac tormenta, qua externa vultus tranquillitate, quo interno humilitatis, patientiæ, amoris, zeli honoris æterni Patris & salutis nostræ affectu tolerârit? iugiter præ oculis habens omnium nostrum peccata, desideransque abundè contumeliam per illa diuinæ Maiestati illatam refarcire, nobisque exemplū, quod imitemur, relinquere? Compassio, Gratitude, zelus imitandi tolerantiam tam eximiam omnium iniuriarum & contumeliarum.

II. Tota nocte reliqua arctissimè vinctus à custodibus & ministris, vices subinde mutâtib, prioribus ad quietem sese recipientibus, bonus Iesus totus exhaustus, absque vlla cessatione exagitatus est vsque manè Ipse interea pernoctans in oratione, sublimissimos reuerentię, amoris, resignationis actus erga Patrem, commiserationis & dilectionis erga palantes suos discipulos, omnes Electos, insuper & tortores suos continuabat, omniumque necessitate diuinæ æterni Patris providentię commendabat. Renouandi prædicti affectus.

III. Super hæc omnia plurimum Christum contristauit terna Petri negatio, quam

quam enim acerbo intimi doloris sensu indoluerit se ab eo, quem caput Ecclesiae designarat, qui paulò ante praereliquis feruentius le ad mortem seculum subeundam obtulerat, ter negari:

1. Simpliciter.
2. Addito iuramento.
3. Cum adiuncta insuper execratione.

Quam meritò ingemiscens dixerit. *Iob. 19.*

*Quem maxime diligebam, auersatus est me. Inquilini domus mea sicut alienum habuerunt me; & quasi peregrinus fui in oculis eorum.* At quam benigna est misericordia amantissimi Magistri, errantem discipulum non auersantis, sed benignè respicientis, & cor eius ex malorum conuersatione excoecatum & induratum sic illuminantis, & emollientis, vt lapsus sui grauitatem clarè agnosceret, & continuo egressus foras amarè flens lacrymis expiaret, imò tota vita expiare non cessaret. O quanta abyssus humanae fragilitatis! At quanto maior diuinæ benignitatis! Quam meritò ergo humilis compunctio, & filialis fiducia erga Deum infinitæ benignitatis cum zelo ei per

omnia perfectè placendi frequen-

tanda?

VII. *De dolore Beatæ Virginis Matris ex au-  
dita filij captiuitate.*

I. **B**EATA Virgo vna cum Magdale-  
na alijsque pijs mulieribus ex  
Ioanne, vt credibile est, fugâ elapso,  
cognouit filium à Iuda osculo traditū,  
à discipulis desertum, in hostium ma-  
nus deuenisse, captiuum in urbem du-  
ctum esse, quanto doloris sensu, quan-  
to compassionis affectu? O quam verè

*Thren. 2. Magna est velut mare conuulsio tua, quam  
medebitur tibi! Magnus sanè fuit eius  
doloris & compassionis excessus erga  
filium. 1. Ob multitudinem oppro-  
briorum, iniuriarum & tormentorum,  
quæ ipsi exantlanda præuidebat. 2. Ob  
grauitatem singulorum, quam firmissi-  
mè apprehendebat. 3. Ob intensissimū  
amorem, quo eum diligebat. 4. Ob  
summam eius innocentiam & excel-  
lentiam, quam clarissimè præ omnibus  
agnoscebat. 5. Ob summam eius in ho-  
mines, maximè Iudæos, benignitatem  
& charitatem, quam non agnosci inti-  
mè dolebat.*

Similiter magnus fuit compassionis  
excessus erga discipulos, Iudæos, om-  
nes homines. 1. Ob clariorem cogni-  
tionem

tionem multitudinis & grauitatis singulorum peccatorum, & diuinæ Maieftati illatarum, & quod filio forent tam dirè expiandæ. Ob viuaciorè apprehensionem tot suppliciorum, quæ æternum ijs impenderent luenda. 3. Ob ardentiorè amorem, quo ferebatur in eos, quos sic à filio diligi sciebat. An non & tu, si hæc omnia clarius oculis fidei aspiceres, & profundius expenderes, meritò in pias lacrymas resolui deberes, dicens cum Ieremiâ: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculus meus fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte cruciatus Domini mei, mea & omnium peccata, quæ horum causæ extiterunt.*

Ier. 9.

II. Perseuerauit quidem tota nocte in lacrymis & compassionis affectibus ciendis, profundè ruminās ea, quæ de filij passione in lege & prophetis præfigurata erant & prædicta, iuxta illud: *Plorans plorauit in nocte, & lacryma eius in maxillis eius, non est, qui consoletur eam ex omnibus caris eius.* Attamen celsissimo quodam animo & se, & filium suū in manus diuini beneplaciti offerebat, ad hæc, & multo acerbiora ferenda, ex zelo honoris æterni Patris, & humane salutis; insuper socias confortabat, at-

Thren. 1.

que ad similem heroicam resignationem animabat. O quam grata & pretiosa est in oculis Dei tam heroica in re tam ardua resignatio!

III. Die illucescente lacrymis exhausta, & flammis amoris succensa pia Mater, comitantibus alijs pijs Mulieribus, in urbem perrexit, ardentissimè desiderans cum dilecto filio suo, vinculis constringi, probris obrui, tormentis subijci, morte affici: aut, si id non liceret, acutissimo saltem compassionis gladio simulcum illo transfigi, medullitus illud Sponsæ ingemigans: *Surgam, & circumibo civitatem, per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea* Quantò id re ipsa præstitit affectu?

Cant. 3.

Dominica IV. Quadragesimæ.

De multiplicatione s. Panum.

Ioan. 6.

Hebdom.  
Quadragesimæ.

I.

I. Iesus cum discipulis subiens in montem, & subleuatis oculis videns turbam magnam sequentem, misericordia motus de ijs in deserto reficiendis cum discipulis cōsultat. Quarta

ta misericordia Domini tam solliciti de corporibus, se ex amore sequentiū, alimento corporeo reficiendis, quanto maior de eorundem mentibus pane cœlesti saginandis? O quam paratus est animis nostris in vitam æternam alendis abundantiam cœlestium illustrationum, impulsuum, auxiliorum supeditare, imò seipsum fontem omnis gratiæ communicare? O quam avidè desiderat nos secum in montem propriæ perfectionis conscendere, & nihilominus in proximorum salutem impensè incumbere? O quoties te sic respexit, sic te refecit, sic ad indefessum propriæ & alienæ perfectionis studium extimulavit! quando tandem seridè te illi gratam exhibebis, ardentè redamando, constanter in spiritu proficere, aliosque ad idem excitare conando?

II. Gratijs actis quinq; panes hordeaceos, & duos pisces quinq; millibus hominum in fœno discumbentibus distribuit. quanto reuerentiæ, gratitudinis, deuotionis erga Patrem, quanto misericordiæ, liberalitatis, charitatis erga homines excessu id præstiterit, quam ardenti desiderio seipsum panem viuum sub

specie panis in edulium, assumque in  
 veru crucis in pretium, insuper in cœ-  
 lo in præmium ijs impertiendi? O  
 quantum excedit omnes spes nostras  
 infinita eius erga confidentes in se be-  
 nignitas? Stupenda erga omnes sincerè  
 diuinam gloriam, suamque salutem  
 quærentes in exiguis eorum pijs desi-  
 derijs conatibusque remunerandis li-  
 beralitas? Qua ergo reuerentia, deuo-  
 tione, gratitudine, desiderio ad SS.  
 Synaxin anhelandum? quanta fiducia  
 sincerè Deum quærentibus, & facien-  
 tibus, quod in se est, in diuinæ prou-  
 dentia sinu quiescendum?

III. Collegerunt 12. cophinos frag-  
 mentorum: omnibus admirantibus  
 hoc signum, ideoque eum Regem fa-  
 cere tentantibus, fugit in montem so-  
 lus. En quo pacto bona nobis à Deo  
 concessa siue temporalia, siue spiri-  
 tualia, si ex charitate cum proximis  
 communicentur, non minuuntur, sed  
 augeantur, & non solum copiosè in  
 altera, sed in hac etiam vita compen-  
 sentur. Quanto ergo feruore operibus  
 misericordiae corporalibus & spiritua-  
 libus frequentandis insistendum?  
 Quàm liberaliter dona naturæ & gra-  
 tiæ nobis diuinitus concessa in utilita-  
 tem

tem & salutem proximorum impendenda tanto cum fœnore meritorum? Quam iure in Christo nobis contemptus dignitatum, & honorum, amor verò crucis & opprobriorum, imitandus, cum is quæsitus ad gloriam regni fugerit, quæsitus ad ignominiam crucis spontè sese obtulerit?

De accusatione Christi apud Pilatum. II.  
Matth. 26. Ioan. 19.

I. **M**ANÈ factò Iesus ab vniuerso concilio Principum, Sacerdotum & Seniorum populi vincetus, ductus est ad Pilatum præsidem iudicandus & condemnandus, vt olim Samson ligatus traditus est à Iudæis in manus Philistæorum. *Iud. 15.* Quâ animi demissione, qua commiseratione, qua modestia filius Dei, constitutus à Patre Iudex viuorum & mortuorum, cui *manifesta erant abscondita cordium, corâ Iob. 19.* quo curuantur, qui portant orbem, finit se ignominiosè trahi per plateas, quas toties pertransierat benefaciendo, & sanando oppressos à diabolo, ad tribunal Iudicis gentilis. à quo sciebat se iniuste volâtati suorû hostium tradendum,

dum, ne nos traderemur principibus tenebrarum æternum cruciandi? Compassio, modestia & æquanimitas in ferendis iniurijs.

- Zach. 11.** II. Iudas pœnitentia ductus videns Christum gentibus traditum retulit principibus Sacerdotum triginta argenteos (vti prædixit Zacharias. *Tuli triginta argenteos & proieci eos in domum Domini:* (dicens: *Peccaui tradens sanguinem iustum,* & abiens laqueo se suspendit, vti alter Achitophel prius consiliarius, deinde proditor regis Davidis. Quam verè in eo completum illud Ecclesiastici: *Cor durum habebit malè in nouissimo,* & qui amat periculum, in illo peribit. Et: *Dilexit maledictionem & ueniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo,* & induit maledictionem sicut vestimentum. Quam meritò hæc omnia præuidens Christus cum gemitu illi prædixerat. *Bonum erat ei, si natu non fuisset homo ille.* En quò vsq; inordinata cupiditas pecuniæ, vindictæ, & quæuis alia initio non repressa progreditur? quomodo sensim cor indurat, demumque in barathrum desperationis præcipitat. Quam verè ingratitude iuxta D. Bern. *Inimica est anima, exinanitio meritorum, virtutum dispersio,* bene-
- Ecc. 3.**
- Psal. 108.**
- Serm. 52. in Cant.**

*beneficiorum perditio, ventus urens, siccat*  
*sibi fontem pietatis, rorem misericordiae,*  
*fluente gratia. Horror ingritudinis,*  
*matura & seria mortificatio passio-*  
*num & cupiditatum.*

III. Accusatur coram Pilato calum-  
niosè, vti Daniel à principibus Persa- *Dan. 6.*  
rum coram Dario, primùm, generatim  
tanquam malefactor, deinde specia-  
tim, tanquam seductor populi; prohi-  
bens tributa dari Cæsari; affectator  
regni: qui aduertens ex inuidia priora  
duo falsò in illum conficta; de tertio,  
an verè rex sit Iudæorum, Iesum in-  
terrogat: cui respondet se verè regem  
esse, sed regnum suum non esse de  
hoc mundo. pluribus deinde ad in-  
stantiam Iudæorum interrogatus, ni-  
hil respondit, mirante vehementer  
præside. En quàm mansuetè tot falsas  
calumnias sustinere dignatur, ne nos  
ob veras culpas æternùm damnare co-  
gatur? Et quidem quàm internâ humili-  
tate, commiseratione, quàm externâ  
vultus serenitate, & constantia, vt no-  
bis præberet exemplum patientiæ,  
imitandiq; gratiam impetraret? Quam  
auidè, vt nos à morte æterna liberet,  
ad mortem temporalem properat, vt  
ne verbo quidem pro sui defensione  
allato, eam prorogare curet? *De*

III: *De illusione Christi apud Herodem.*  
Luc. 23.

I. **I**esus à Pilato innocens pronun-  
tius, cum nihilominus con-  
stanter à Principibus sacerdotum &  
senioribus accusaretur, vt seditiosus,  
quod commouisset populum, incipi-  
ens à Galileâ vsque huc, audiens illum  
Galilæum esse, subditum que Herodis  
regis, ad illum accusatores remittit.  
Atque ideò innocentissimus Domi-  
nus, Angelorum gaudium, rursùm  
magnâ cum ignominia tanquam ma-  
lificus & hominum opprobrium per  
plateas raptatur vinctus, non tam fu-  
nibus & catenis, quam funiculis inef-  
fabilis charitatis. Quàm eximios inte-  
rim resignationis, amoris, con-  
miserationis affectus elicuerit? quam feruen-  
tia desideria grauiora patiendi itera-  
rit? quam luculentum externa mode-  
stia, humilitatis, inuicta que patien-  
tia specimen præbuerit?

Coloss. 2. **I**I. Ab Herode interrogatus multis  
curiosis sermonibus, cum nihil respõ-  
deret, velut stultus ab eo, eiusque ex-  
ercitu spernitur & exhibetur. En vt  
increa-

increate sapientia, fons omnis sapientia creatæ, splendor gloriæ & figura substantiæ Patris, in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ, a stultissimis & vilissimis filiis hominum permittit se, non solum velut Samaritanum, Magum, voracem, vinosum, seditiosum, superbum, ambitiosum, blasphemum vocari, & traduci, sed nunc insuper, ceu stultum illudi, & subsannari: idque ex gratuito erga nos tam ingratos amore, ut nostram superbiam sic expiaret, ut nos exemplo suo veram despicientiam sui doceret, gratiamque ad id necessariam obtineret. Compassio, contemptus sui.

III. Remittitur veste alba indutus ab Herode ad Pilatum. En ut rex gloriæ, quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt potestates, à vilissimis mancipijs, à sceleratissimis Sathanæ ministris, velut fatuus exploditur, pugnis, calcibus, verberibus è palatio extruditur, (viti olim David ab Achis rege Geth, aulicis que spreus, & pro stulto habitus fuit) per celebriores viribus plateas raptatur, omnibus passim subsannandus, cachinnis, conuitijsque laceffendus, luto, saxis, sordi-

1. Reg. 25.

fordibusque petendus, & conspurcandus proponitur. Quæ opprobria & scommata vniuersa, quanta animi vultusque serenitate, quanta modestia, & patientia excipit? quot suspirijs incensissimis plura amore nostri, vt ab æterno nos eripiat opprobrio, sustinere appetit, illusoribus suis condoleat, ijs æternam gloriam in vicem exoptat? Et tu necdum capis illud Apostoli: *Si quis inter vos videtur sapiens esse, in hoc saeculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Et illud: *Exeamus ad eum extra castra improperium eius portantes.* Contemptus fui, tolerantia confusionis,

1. Cor. 3.  
Heb. 12.

I V.

*De Christo Barraba postposito.*

Matth. 27. Luc. 23.

I. Sic delusus, sic irrisus instar fatui supremus rex hominum & Angelorum, infinito honore dignissimus, remissus ab Herode ad Pilatum, ne vnum quidem ex omni gente suâ, tot à se beneficijs & priuilegijs ornatâ, reperit innocentia suæ propugnato-rem, vt Pilatus gentilis, quantumuis impius, misericordiâ motus, eius patrocinium suscipere cogatur: qui eum liberare conatur, innocentiam eius fu-  
rioso

rioso populo primùm proponendo, deinde, optionem concedendo, vt pro consuetudine festi, vel ipsum, vel Barrabam homicidam & seditiosum hominem dimitti postularent, nil dubitans, quin tam nefario latroni Christus esset ab ijs præferendus. En vt agnus innocentissimus in medio luporū ab omnibus desertus, non de sua iniuria & perditione, sed de illorum, omniumque nostrum malitia, æternaque damnatione sollicitus, non ijs indignatur, sed intimè compatitur: patronum eorum apud Patrem fidelissimū agit, veniam deprecando; & satisfactionem pro ipsis superabundantem repræsentat, se ad mortem crucis vitrò offerendo! Compassio, amor inimicorum, liberalitas erga ingratos.

II. Proponente Pilato Iudæis, quem vellent sibi è duobus dimitti, Iesum, an Barrabam? conceitati à Principibus, & Senioribus populi omnes vnanimi ore acclamauerūt. *Tolle hunc & dimitte nobis Barrabā.* O stulta & peruersa cæcorum Iudæorum iudicia, quàm verè compleuerunt illud Ieremię: *Et eligent Ier. 8. magis mortē quā vitam omnes, qui residui fuerunt, de cognatione hac pessima.* quàm cæcè, quam insipienter, quam impru-

pru-

prudenter imitantur hos tot peccatores, qui, quoties lethaliter peccant, temporale apparens bonum, aeterno & vero bono; mortem aeternamque miseriam, vitæ aeternæque gloriæ: creaturam creatori; diabolum Christo præferre non erubescunt? Quanta illa fuit Christi innocentissimi, primogeniti Electorum, filij altissimi iniuria! quanta sanctitatis, gloriæ, existimationis eiusdem depressio, verisimè dicere posset: *Vermis sum, & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis?* Quam heroicis interim actus frequentant intimæ humilitatis, intuendo nihilum naturæ suæ humanæ per se præcisè spectatæ, nisi per assumptionem sic euecta, & tot privilegijs & gratijs ornata fuisset, se infra omnes deprimendo, deprimique gaudendo? Quam incensos affectus commiserationis erga illos sic infatuatos, omnesque peccatores, eorum interitum præuidendo & auertere optando? quot heroica desideria elicuerit grauiores confusiones contumeliasque perferendi, idque, vt nostram superbiam sua humilitate dilueret; exemplum imitandi præberet. Suspice hanc tantam eius dignationem, gratias age, imitari statue.

III. Pilatus obstupescens replicat: *Quid ergo faciam Iesu, qui dicitur Christus?* Dicunt omnes: *Crucifige, crucifige eum.* Quomodo vox illa, instar gladij ancipitis transfixerit cor amore salutis eorum flagrantissimum benedicti Salvatoris, intuentis tam horrendum ijs, ob tantam ingratitude & crudelitatem imminens tam temporale, quam æternum exitium? quam promptè denudè se æterno Patri ad contumeliosissimam mortem obtulerit. etiam pro ijs ipsis, qui tunc clamabant, crucifige eum? Comparsio, amor crucis, iniuriarum, contumeliarum amore crucifixi, zelus animarum.

De flagellatione Christi. Matth. 27.

V.

Ioan. 19.

I. Pilatus protestatus Iesum innocentem, nihilominus, ut satisfaceret furori Iudæorum, postulantium, ut crucifigeretur, addixit illum diræ, & probrosæ flagellationi, inquit: *Nullam causam mortis inuenio in eo, corripiam ergo illum. & dimittam.* Quam iniustam, ignominiosam, & crudelem sententiam, non tam ex ore iniqui Iudi-

Luc. 23.

Psal. 37.

Psa. 68.

Iudicis, quàm de manu æterni Patris, quantâ animi æquitate, alacritate, gaudio, exceperit obedientissimus filius, vltro se ad feruile illud, & crudele supplicium offerens: *Ego autem in flagella paratus sum. Et: qua non rapui, exsoluam?* Gratitude, zelus imitandi in perfecta resignatione.

II. Castissimus virginis filius, qui cœlum vestit syderibus, terram floribus, qui portat omnia verbo virtutis suæ, & tribus digitis appendit molem terræ, suis vestibus ab impijs licitoribus inhumanissimè spoliatur, sicque denudatus, brachijs in altum porrectis, columnæ diuissimè alligatur, quanta cum confusione animarum castarum sponsi verecundissimi, & virginei pudoris zelosissimi? quanto cum desiderio restituendi nobis in hac vita stolam innocentiae, baptismatis & gratiæ, quam sine pudore, heu quoties exuimus, abijcimus, deturpamus! Et in futurâ beatæ immortalitatis & gloriæ, quam tam temerè flocci pendimus, perdimus, conculcamos? Comparsio, compunctio.

III. A crudelissimis, sceleratissimisque tenebrionibus dirissimè flagellatur, excoriatur, dilaniatur vnigenitus Dei,

Dei , & Virginis filius , tenerrimus quoad corporis temperamentum; speciosissimus formâ præ filijs hominum; beatissimus quoad animam; gloriosissimus quoad nominis, & generis claritatem. Quomodo tam durum spectaculum attoniti obstupuerint , & exhorruerint cœlites , cum viderent Dominum à seruis, creatorem à creaturis, Deum infinitæ maiestatis, à vilissimis terræ vermiculis , tam impiè, direque flagellari ? Quis magnitudinem doloris agnelli immaculatissimi sic excarnificati mensurare aut æstimare queat: fuit is sanè , 1. Latissimus, utpote, per totum corpus diffusus , & quidem à tot diuersis lictoribus , tot plagis quinque millenis, & amplius, ut quidam volunt , toties renouatus, iuxta illud: *A planta pedis, usque ad verticem capitis non erat in eo sanitas.* 2. Intensissimus , ob tenerrimam corporis iam ante sudore sanguineo, totiusque elapsè noctis exagitatione planè exhausti, complexionè; sensusque tactus viuacitatem: ob verberū triplicibus instrumentis, secundum nonnullos, spinosis virgis , duratis neruis, fereisq; catenis inflictorum atrocitatem: ob tortorum præsidis iussu , Iudæorū nutu, diaboli im-

im-

impulsu instigatorum, absque vlla misericordia sæuientium immanitatem; ob implacabilis odij Iudæorum sanguinem suum sitientium enormitatem. 3. longissimus, tum ob durationem eius vsque ad mortem, tum ob iugem eiusdem totâ virâ præuisionem. 4. profundissimus, seu incomprehensibilis, quod diuinissimo corpori eius infligeretur, qui, & qua homo, beatifico gaudio, ex diuinâ essentiâ clarè visâ, eminentissimè semper quoad animam frueretur, & qua Deus, eadem infinita & incomprehensibili beatitudine cum Patre & Sancto Spiritu potiretur. Hos tantos dolores mitissimus agnus sic excoxiatus, & dilaniatus, quam forti constantique animo tulerit, vt nec lacrymam, nec precem fuderit, sed modesta fronte sereno ore, vultu tranquillo inter tantam carnificum lanienam, absque vlllo gemitu constans inuictusque durarit? quot interim diuinissimos actus zeli gloriæ Patris & humanæ salutis, compassionis, aliosque, more suo, frequentarit? O quantus excessus immensi Saluatoris nostri erga nos amoris, cui non poterant tota tortoribus, nec tam atroces infligi cruciatus, quin plures, & atrociores

ciores amore nostri tolerare gestiret! idque vt sic plenius peccata nostra, tot & tam horrenda, maximè lasciuia carnis commissa, in virginea carne sua expiaret; eorum grauitatem nobis ob oculos constitueret; ad spontaneas pœnitentias, & corporis afflictiones assumendas, ad flagella omnia vnde- cunque veniant, de manu diuinæ iustitiæ & misericordiæ patienter excipienda animaret; copiosaque gratiæ auxilia nobis ad hæc præstanda necessaria tanta sanguinis sui profusione compararet. Tantus excessus amoris, patientiæ, fortitudinis, quantum à nobis exigit excessum compassionis, compunctiōnis, gratitudinis, amoris, & omnimodæ ad ardua & aspera quæque resignationis?

*De Coronatione Christi. Matth. 27.*

VI.

*Ioan. 19.*

I. **V**ix mitissimus Iesus à columna solutus, in proprio natans cruore, præ verecundia vestes suas resumpserat, cum ecce carnifices absque dubio instinctu Dæmonis tam inuictæ Christi patientiæ inuidentis nouam in  
co

eo inauditamq; & probrosam simul & dolorosam aggrediuntur exercere carnificinam. Nam conuocata tota cohorte ad crudele spectaculum violenter illi vestes vulneratae iam carni agglutinatas extrahunt, coram tanta impudentissimorum militum corona: eum rursus denudant, deinde chlamyde coccinea per ludibrium induunt. Quae omnia dilectus animarum nostrarum sponsus, candidus & rubicundus, electus ex millibus, prius albâ ab Herode, nunc rubicunda veste à Pilato circumdatus, quam inuicta tolerat patientia, quâ virginea verecundia, quâ diuina modestia? Compassio, imitatio Christi patientiæ, & modestiæ.

II. *Plectentes coronam de spinis, imposuerunt super caput eius. Et adederunt arundinem in dextra eius.* En, vt rex regum, & Dominus Dominantium, de quo dictum à Patre: *Et adorent eum omnes Angeli Dei:* nunc à sceleratissimis terræ filijs spineo diademate, purpurea lacernula, sceptro arundineo ornatus, tanquam vanus & personatus rex, insanus regni affectator propalam omnibus ludendus & subsannandus proponitur! O, quam ignominiosum simul & crudele fuit hoc ludibrii genus? ignomi-

miniosum, ob tantam vero & æterno regi hominum & Angelorum à tot vilissimis cacodæmonis mancipijs irrogatam contumeliam: crudele verò, ob maximum cruciatum acutissimarum spinarum, sacrum eius caput fodicantium, cerebrum penetrantium, totumque vultum eius cruentantium, quam auido nihilominus alacrique animo, quam sereno vultu hoc probrosum & horridum diadema rex noster, cuius regnum non est de hoc mundo, acceptavit amore nostri; vt sic superbiam nostram fastum supprimeret, & dilueret; ad veram nostri ipsorum despicientiam & opprobrij sui consortium alliceret; ad amplectendam in hac vita spineam coronam cum D. Catharina Senensi inuitaret; & in altera auream nobis tam inæstimabili tot opprobriorum & dolorum suorum pretio compararet. An non meritò omnes animæ piæ simul cum beatis spiritibus suspicere deberent tantam Regis & sponsi sui dignationem? condolere tantæ eius iniuriæ? redamare tantam eius bonitatem? imitari tantam mansuetudinem, modestiam, charitatem, sui contemptum, amorem opprobriorum pro amore dilecti sic illusi & contem-  
pti?

pti? Optare, vt conformes fieri imagini eius, & cum ipso opprobrijs saturari mereantur? Quam enim verè Christianum non pudeat, sub spinis redimito capite esse membrum delicatum?

III. Sic per ludibrium regis institutum insignibus pijsimum Iesum impij Pilati & cacodæmonis satellites insuper submissis poplitibus ludionum ritu adorant, Regem Iudæorum salutant, simulque contumeliosè purulentis diuinum eius os sputis conspurcant, alapis gratiosam eius faciem cædunt, arundine sacrum verticem percutiunt, & spinarum aculeos altius eidem impingunt; quanto cum dolore & rubore pijsimi Saluatoris, præsertim coram tanta barbarorum hominum ad tam immane spectaculum applaudentium caterua? Quot ille interim commiserationis, humilitatis, charitatis actus exercuerit? quot ignita desideria grauiores calumnias acerbioresque cruciatus amore nostri patiendi elicuerit? Quam æquum ergò est, vt omnes ad spectaculum istud pijs gratisque animis conuolemus, cælesti illo celestimate excitati: *Egredimini filia Sion: & videte regem Salomonem in diademate quo coronauit eum Mater*

*Cant. 3.*

*(ua:*

*sua: (ingrata Synagoga:) in die desponsationis illius, & in die letitia cordis illius: vt admiremur, veneremur, redamemus, & superexaltemus tantam amantissimi Sponsi nostri charitatem; imitemur tantam humilitatem, mansuetudinem, patiendi probra & tormenta auiditatem, scientes, quoniam si comparimur, & conglorificabimur.*

*De productione Christi flagellati & VII.  
spinis coronati coram populo.*

*Ioan. 19.*

I. **P**ilatus Iesum sic flagellis dilaniatum, spinea corona redimitum, & purpurâ lacernula semitectum producit foras, iterumque innocentem pronuntiatum, totum liuidum, luridum, sputis horridum, eruentumque populo ostentat, nihil dubitans, hoc saltem tristi spectaculo efferatos eorum animos mitigandos, sic exclamans: *Ecce homo*: quasi diceret: *Ecce, quem vos dicitis se facere filium Dei, esse affectatorem regni, videte, quod nullum in eo sit signum diuinitatis, & regis Maiestatis, quem sic deformatum aspicitis, vt vix speciem hominis*

Q

igno-

ignobilis & contempti retineat. Quāto rubore, quanto dolore sic deformatus, sic dilaniatus, sic illusus innocentissimus agnus rabidis obijcitur immanissimorum luporum dentibus & linguis mox deuorandus! quas interim amoris & commiserationis eiacularur flammis! quot, quā incensa salutis & perfectionis nostrae desideria? quam promptus est pro omnibus & singulis, non tantum illudi, sed & mori, qui dignatus est pro omnibus incarnari & nasci! quā cupidus est cuique electo ad eximiam gratiam & gloriam promouendo se totum impendere, vt iugiter videatur in aurem cordis ei insusurrare. *Ecce homo*, tam exoptatus, qui veni te languidum in piscinam sanguinis mei demittere, ad recuperandam animae tuae sanitatem. *Ecce homo*; qui cum in forma Dei essem, factus sum homo, vt tu diuinæ fieres consors naturæ, *Ecce homo*, qui pro te filio refractario corrigendo sic me amore tui deformari, tam dirè tractari permisi. *Ecce homo*, qui de cælo veni docere te regiam ad cælum crucis viam. *Ecce homo*, quem tibi Pater æternus donat, imò, qui & me ipsum tibi offero in pretium redemptionis, in pignus æ-

terre

*Ioan. 5.*

ternæ hereditatis. Quis hoc interno cordis auditu percipiens, profundeq; expendens, ad eum amandum imitandumque non accendatur?

II. At Pontifices, & ministri nihil hac miserabili Christi specie commoti clamabant, dicentes: *Crucifige, Crucifige eum*. Quam diu è implacabilis illa ludæorum rabies, virulentus ille clamor, stygius ille furor transixerit misericordissimum cor Saluatoris, tam avidè eorum salutem sitientis? quanto compassionis affectu suspirans & admirans dixerit: *Facta est mihi hereditas* Jer. 12.

*mea, quasi leo in sylva dedit contra me vocem.* Et, *Fily hominum, dentes eorum arma & sagitta,* & *lingua eorum gladius acutus.* Psal. 36.

Heu quoties Christo hodie, dum à quouis peccatore non tam ore, quam corde & facto ipso, *Crucifige eum*, acclamatur, cum toties peccato graui, voluntariè admissio filium Dei iustus crucifigere, & ostentati habere, eiusq; pretiosum sanguinem conculcare non vereatur? Compassio, horror peccati.

III. Pilatus rursus Iesum innocentem pronuntians respondit: *Accipite eum vos, & crucifigite*, ego enim non inuenio in eo causam: responderunt ei Iudæi: *Nos legem habemus, & secundum legem*

*legem debet mori, quia filium Dei se fecit.*

**Dan. 6.**

His auditis Pilatus de nouo Iesum  
examinatum, innocentem repertum,  
dimittere quærit, vti Darius Danie-

lem à Satrapis per inuidiam accusa-  
tum liberare conatus est. Audiens ve-  
ro: *si hunc dimittis, non es amicus Cesaris,*

**Iac. 4.**

timet momentaneam hominis grati-  
am perdere, non timet æternam Dei

offensam incurrere. O quam verè *A-*  
*micitia huius mundi inimica est Dei.*

Quicumque ergo voluerit amicus esse  
sæculi, inimicus Dei constituitur. O

quoties peccatores Pilatum imitan-  
tur, cum metu amittendi humani fa-

uoris, impias insanientis mundi leges  
examussum seruare; sanctissima autem

diuini humanique iuris decreta pro-  
terua fronte violare, & pessundare

non erubescunt! Compassio,

contemptus mundani

fauoris, fuga huma-

ni respectus.

( ? )

Domi

**Dominica V. Quadragesimæ.**

*De immunitate Christi à peccato.*

Ioan. 8.

5. Hebd.  
Quadr.  
I.

**I.** Iesus dixit Iudæis: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Vbi expendendum, tam eximiam fuisse Christi innocentiam, non solum quoad exteriores mores, verba, & opera, sed etiam quoad intimas cogitationes, & desideria, quæ omnia diuinam spirabant puritatem, vt ne vnus quidem veri erret ab inimicis suis, curiosissimè vitam eius obseruantibus, posset conuinci. Quanta & tua, qui imitator Christi, & auditor diuini verbi haberi vis, esse deberet à peccatis, non solum grauioribus, sed etiam leuibus, imò à minimis etiam imperfectio-<sup>us</sup> nibus immunitas? Feruor proficiendi in puritate conscientia.

**II.** Christus calumniosè à Iudæis infimulatus, quod esset Samaritanus & dæmonium haberet: ad primam contumeliam, vtpote se velut homi-

Q 3

mcra

*se fecit  
Iesum  
ertum,  
Danie-  
accusa-  
ens ve-  
Zasaris,  
grati-  
m Dei  
erè A-  
est Dei:  
us esse  
ur. O  
nitan-  
ani fa-  
i leges  
autem  
pro-  
ndare  
o,*

*Domi*

nem concernentem, tacuit; alteram, gloriam diuinæ Maiestatis attingentē, mansuetē refutauit, seque non propriam sed patris gloriam querere ostendit: vt nos doceat calumnias nobis illatas patienter ferre; Deo vero irrogatas refellere, ex sancto zelo diuini honoris, nō ex cæco amore propriæ existimationis. Quos internos Christus mansuetudinis, & zeli gloriæ Patris, quos commiserationis affectus erga Iudæos tam excæcos exercuerit nobis imitandos?

III. Cū deindē clarē insinuasset, se esse æternū æterni patris filium, verum Messiam in lege promissum; cuius diem expectarit, & in spiritu caritatis viderit Abraham, cuius sententiam si quis seruarit, non sit gustaturus mortem in æternum: Iudæi porō increduli tamquam blasphemum lapidibus obruere tentarent, abscondit se & exiuit e templo, nolens videlicet ante tempus à Patre præfinitum miriori mortis genere e medio tolli, vt omnia in lege & Prophetis prædicta tormenta prius perpeti, & demum, per acerbissimam iuxta ac ignominiosissimam mortem in ara crucis posset pro nobis velut holocaustum immolari.

Qin.

Oingens ardor amoris, ô igneus amor crucis, ô zelus insatiabilis plura & diuina patiendi amore Patris, & humanæ salutis! Gratitude, amor.

## De Christi condemnatione.

II.

Ioan. 19.

I. Pilatus adduxit foras Iesum, & sedens pro tribunali dixit Iudæis: *Ecce rex vester*: illi autem clamabant: *Tolle, tolle, crucifige eum*. Dicit eis Pilatus: *Regem vestrum crucifigam*? Responderunt Pontifices: *Non habemus regem, nisi Casarem*. Quo affectu resignationis erga Patrem, & comiserationis erga hostes, amoris erga omnes filios æterni regis, princeps regum terræ, de quo scriptum: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius*, permiserit se sic reprobari à Iudæis implentibus illud: *Dirumpamus vincula eorum, & proiciamus à nobis iugum ipsorum*, & illud à se prædictum in parabola: *Nolumus hunc regnare super nos*: clarè intuens sic impleri illud: *Lapidem, quem reprobauerunt, hic factus est in caput anguli*, videlicet per se, veluti lapidè angularè reprobatum vnum corpus Ecclesiæ, cuius ipse caput esset, ex Iudæis & gentibus, constandum. Quam ardentè

Psal. 29.

Psal. 2.

Matth. 29.

Psal. 2.

Q. 4.

optatis.

optarit eos ipsos, à quibus reprobabatur, & regis terreni titulo indignus iudicabatur, regni sui cœlestis reddere consortes? Comparsio, resignationis eius & mansuetudinis imitatio.

II. Pilatus, quamuis motus ab vxore, videns, quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauat manus coràm populo dicens: *Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videtis.* Et respondens vniuersus populus dixit: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Quousque respectus humanus, & metus amittendi fauoris hominum, vti Pilatum olim, sic & nunc cœcos mundi amatores pertrahit? In quale scelerum & suppliciorum æternorum barathrum miseros præcipitat? Quemadmodum cœcus furor olim Iudæorum in necem Christi conspirantium, sic nunc quæuis indomita cupiditas peccatorum sequentium impetus passionum suarum obstruit oculos mentis, vt nec videant tam horrendum, in quod cœcè ruunt, præcipitium; nec paueant æternum, quod paratum sibi norunt, supplicium. Quam paterno affectu benignissimus Dominus hanc tantam ingratorum & insanorum filiorum deplorarit amentiam, coram  
intu-

intuetus atrocissimum ceruici eorum  
imminens exitium? Compassio, com-  
punctio, strenua mortificato indomi-  
tarum passionum.

III. Tunc Pilatus volens satisfacere  
populo, adiudicauit fieri petitionem  
illorum, & dimisso Barrabba, Iesum  
flagellatum tradidit voluntati eorum,  
vt crucifigeretur. Quanto plausu Iu-  
daeorum, tam auidè illius sanguinem  
sitientem, iuxta illud: *Exaltaſti dexte-*  
*ram deprimentium eum, latificaſti omnes*  
*inimicos eius!* Quam sereno vultu,  
quam æquo animo constitutus à Deo  
Patre iudex viuorum & mortuorum,  
*qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt*  
*dolus in ore eius,* hanc peremptoriam  
probrosæ mortis sententiam ab iniu-  
sto Iudice, renitente conscientia, pro-  
laram, & importunitate populi sui tam  
electi & dilecti, tot à se beneficijs cu-  
mulati, ex odio & malitia, extortam  
acceptarit, non tanquam iniquissimū  
hominis iudicium, sed tāquam sanctis-  
simum amantissimi Patris decretum! Vt  
nos damnatos, antequam essemus nati,  
filios iræ, filios gehennæ, æternæ dam-  
nationis maledicto liberaret; atque in  
filios gratiæ, filios regni, & cohæredes  
suos ascriberet: idque quàm incredi-

*Psal. 38.*

*1. Pet. 2.*

Q 5

bili

bili erga tam ingratos commiserationis & dilectionis excessu? Comparsio, gratitudo, amor, zelus Christum in ferendis iniurijs æmulandi.

### III. De Baiulatione Crucis. Ioan. 19.

I. **L** Atâ mortis in auctorem vitæ Iesum sententia, applaudentibus Iudæis, confestim ab improbis ministris & licitoribus immaniter purpurea chlamyde iam vulneribus eius tenacius adhærente exiit, nudus rursùm ab omnibus deridendus prostituitur, suis deinde vestimentis indutus graui crucis quindecim longæ pedes, octo latæ oneratur ligno, in quo in monte Caluariæ immolaretur: sicut olim Isaac ligna sacrificij imposita fuerunt deferenda in montem, vbi sacrificaretur. Quanta alacritate Saluator noster voti tandem sui compos factus, regnaturus a ligno hoc regale crucis sceptrum obuijs brachijs amplexatus fuerit? quanta mentis exultatione, videns impletum illud: *Dabo clauem domus David super humerum eius.* Et: *factus est principatus super humerum eius,* paratam sibi crucem. dissuauatus fuerit? multò dubio procul maiore, quam

Gen. 22.

Isa. 22.

Isa. 9.

quã olim sanctus Andreas à longè salutavit. Quẽ tam ingens ardor amoris Christi sic anhelantis ad crucis opprobrium, non accendat ad expetendum & amplectendum crucis & opprobriorum eius consortium? Amor crucis, resignatio.

II. Baiulans sibi crucem educitur in montem Calvariæ, à Pilati palatio mille viginti passibus distitum. En ut alter Isaac, non iam lignorum fascem, in quo aries immolandus, vegeto corpore gestans, ab amantissimo parente Abraham, ignem & gladium quidem ferente, sed blandè simul filium consolante, ad montem visionis peramanter educitur: sed ponderosam crucis trabem, in qua ipsemet victimandus, saucijs suis humeris impositam ægre trahens, ab immanissimis Sathana ministris illum probrosè criminantibus & inhumaniter propellentibus ad montem Calvariæ raptatur. Quam prompto hilariq̃ue animo hoc sacrum onus baiulat, intuens non ludæorum & Carnificum, illud ex odio sibi imponentium crudelitatem; sed Patris cœlestis decretum; ex misericordia & iustitia sic permittentis in proprio filio expiari omnium homi-

num iniquitatem. Quam pios amoris erga Patrem, & miserationis erga omnes, maximè Electos, affectus ex intimis cordis sui penetralibus in hac via crucis elicuerit? quam ardentè veniam & misericordiam suis persecutoribus, copiosam gratiam suis imitatoribus exorarit? Quomodo sibi congratulatus fuerit iam instare horam ab æterno decretam, qua peccata mundi per crucem expiaret, impletetque illud Isaia: vaticinium: *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.* Compassio, gratitudo, zelus perfectæ resignationis.

Isa. 53.

III. Et quidem inter alios duos nequam ad maiorem contumeliam educitur crucifigendus rex gloriæ, aucter omnis innocentia. Quam incomprehensibili intimæ humilitatis, mansuetudinis, resignationis sensu hoc tolerarit, non intuens præsens opprobriū, sed sanctum æterni Patris beneplacitum; gaudensque se posse implere illud: *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum!* Zelus imitandi Christi humilitatem, & resignationem,

Isa. 53.

(. . .)

Di

De compassione piarum mulierum, má-  
ximè Beata Virginis Matris. IV.

Luc. 23.

I. Iesus conuersus ad sequentes se mulieres plangentes, & lamentantes ait: *Filia Ierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete & super filios vestros: Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beata steriles, & ventres, qui non genuerunt.* Quàm pio commiserationis affectu pius Dominus, non de suo temporali opprobrio & exitio, sed de populi sui temporali simul ac æterno sollicitus, illas flentes & humano more sibi collacrymantes, & suauiter simul consolatur, & efficaciter ad sanctiores lacrymas veræ videlicet compunctionis de suis suorumque peccatis, intimæque compassionis ob impendens sibi suisque tam horrendum post 40. annos excidium, æternumque supplicium, nisi resipiscerent, contrito & humiliato corde fundendas adhortatur? Quam intensos interim ipse tam clarè intuens enormitatem scelerum Iudæorum & omnium hominum, tantam atrocitatem

Q 7

æter-

æternorum tormentorum ijs debiturum, tantam gravitatem cuiusvis offensæ diuinæ Maiestatis, quam intensos, inquam, doloris & passionis elicuerit affectus? quam ardentem desiderat & nos vberes perennesque lacrymarum imbres profundere, ad tantas nostrarum & alienarum culparum maculas eluendas? Compassio, compunctio.

II. Benedicta Mater iam ante compassionis gladio faucibus, audito clangore buccinæ, indite feralis sententiæ à Pilato in filium latæ; cernens verò nunc dilectissimum viscerum suorum, sic deformatum, dilaniatum, cruce onustum, inter carnificum vociferantium manus ad mortem raptari, quam inæstimabili cum intimorum præcordiorum exulceratione tota fuerit in lacrymas resoluta? Quam verè dicere

*Thren. 3.* potuit: *O vos omnes, qui transiit per viam, attendite & videte si est dolor, sicut dolor meus.*

Doloris eius magnitudo æstimari potest ex magnitudine amoris quo in filium ferebatur. tanquam in Deum suum infinite amabilem, cuius infinitam bonitatem, & amabilitatem, præ omnibus clarius agnoscebat.

tanquam in benefactorem suum maximum, à quo se tot gratijs præuentam, tot prærogatiuis, supra omnes puras creaturas, exaltatam sciebat. 3. tanquam in filium suum vnicum ope spiritûs Sancti ex se sola conceptum, & quidem sibi simillimum, forma speciosissimum, vitâ innocentissimum, moribus sanctissimum, dotibus naturæ, gratiæ, gloriæ sublimissimum: quem simul verum Filium Dei, primogenitum omnis creaturæ, regem & caput hominum & Angelorum infinito honore, amore, cultu dignissimū esse credebat, & nihilominus sic despicere, odio haberi, ad mortem rapi tanquam vilissimum, sceleratissimum, impiissimum mancipium cernebat. *Compassio, contritio, amor Iesu.*

III Hanc sic afflictam, acutissimoq; compassionis gladio transfixam, sanguineis oculis respiciens piissimus Iesus, quam incredibilem ex intimo materni cordis sic afflicti, sic transfixi intuitu hauserit dolorem, cuius intensio similiter æstimanda ex intensione amoris, quo in eam ferebatur. 1. tanquam in primogenitam æterni Patris filiam supra omnes puras creaturas sublimatam. 2. tanquam in benefa-

*ctri-*

etricem suam maximam, à qua se tanta charitate lactatum, nutritum, omni genere obsequiorum praeuētum, tam ardentem semper amatum, & nunc amari sciebat. 3. tanquam in Matrem suam carissimam, suauissimam, purissimam, sanctissimam, quoad dona naturæ, gratiæ, gloriæ sublimissimam, sibi natura & moribus simillimam, & suauiter tot annorum conuictu familiarissimam. Quam verè dicere potuit:

*Thren. 2.*

*Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea. effusum est in terram iecur meum, super contritione filie populi mei, Matris meæ! Affectus ijdem renouandi cum zelo peculiaris amoris erga Iesum, & Mariam.*

V. *De Christo sub onere crucis succumbente. Matth. 27.*

I. **C**Hristus quantumuis iam ante tam copiosa sudoris sanguinei emissionem, tam immani totius corporis dilaniatione, toties repetita vulnorum omnium exulceratione totus exhaustus, nihilominus nunc insuper tam graui crucis mole oppressus ab immanissimis carnificibus fessus & anhe-

anhelus vix respirare finitur, sæpiùs oneri succumbens in terram prolabitur, sed calcibus & fustibus progredi compellitur. O quam graue, quam intolerabile onus peccatorum nostrorum, quod Filium Dei portantem omnia verbo virtutis suæ sic fatigat, sic deprimit! Quam verè cuique nostrum dicere potest: *Seruire me fecisti in peccatis tuis, prabuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Cuius cor his ponderatis ad compassionem, compunctionem, amorem, non moueatur?

Isa. 43.

II. Videntes carnifices Iesum viribus fractum, propelli vltèrius tali mole grauatum non posse, tandem non quidem miserationis affectu ducti, sed mortis eius accelerandæ auidi, Simonem Cyrenæum coegerunt ferre crucem post eum. O quam beatus est, quisquis ad consortium crucis ferendæ à Christo admittitur! quisquis id cognoscit, non se cogi finit, sed vltro accurrit. Vt monet D. Petrus. *Communicantes Christi passionibus gaudete, ut & in reuelatione gloria eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi beati eritis.*

1. Pet. 4.

eritis:

eritu: quoniam quod est honoris, gloria & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super vos requiescit. Amor Crucis.

III. Cum ventum esset ad montem Caluariae, aduertentes hictores Iesum viribus deficere, vt reliquis cruciatis par esse posset, propinarunt illi myrrhatum vinum felle mixtum. Quod libare voluit ad expiandas penè innumeras gulæ & intemperantiæ nostræ maculas, ad præbendum omnimodæ mortificationis exemplum, ad implendum illud Dauidis vaticinium: *Dederunt in escam meam felle.* Quâ mansuetudine, quâ æquanimitate hanc tantam tolerarit inhumanitatem? quâ piè pro illis nobisque gula toties delinquentibus supplicans æterno Patri dixerit: *Recordare paupertatum meam, ab Inthy & felle,* & parce illis, pro quibus ego exhaurio amarum calicem passionis! Quam æquum esset & nos cum intenso commiserationis & compunctionis affectu ingeminare cum Ieremia: *Nos comedimus vnam acerbam,* & *dentes tui obstupuerunt!* Nos felle peccatorum nostrorum hoc mistum tibi, heu quoties! propinauimus, & nunc propinare pergitur vinum, nec in eo exhauriendo te iuare, per seriam pœnitentiam.

*Psal. 68.*

*Ier. 31.*

nitentiam & mortificationem dignamur! Comparsio, contritio, mortificatio.

*De Crucifixione in monte Caluaria.*

VI.

Ioan. 19.

I. **I**N hoc monte Caluariae, in quo  
 (secundum complures doctores)  
 humatus protoplastus Adam, & immolatus loco Isaaci aries ab Abraham, alter caelestis Adam, & verus humani generis reparator Noe vino amoris ebrius, coram tanta hominum multitudine denuo se permittit denudari, ludibrio exponi, vestes sanguinolento corpori tenacius adhærentes violenter vna cum cute abstrahi, spineum diadema demi, & reponi, omnium vulnerum plagas renouari; idque quanto cum pudore virgineæ mentis, quanto cum dolore tenerissimi corporis, quanta nihilominus animi vultusque constantia! Quam ardenti interim affectu zeli gloriæ Patris, & nostræ salutis obtulit hæc omnia, imò seipsum ad multò probrosiora, diriora, ad expiandas tot nefandas lasciuie maculas omnium & singulorum filiorum Adam?

dam?

dam? Quam piè æterno Patri gratias egerit, quam exultarit, iam tandem aduenisse tempus seipsum in cruce pro salute mundi immolandi? quam alacri animo ad illud sacrificium consummandum properarit? quam deuotè se ad id accinxerit, imò voto ac desiderio iam inchoarit. Compassio, compunctio, carnis illecebrarum detestatio & mortificatio.

Gen. 22.

II. Deinde verus noster Isaac sic denudatum se & excoriatum sinit non iam benignè paterna manu super struem lignorum poni, sed ab immanissimis carnificibus super lignum crucis impetuosè deiici; nec mollibus funibus ligari, sed ferreis obtusisque clavis affigi; nec arietem vepribus implexum pro se substitui, sed seipsum spinea corona horridum victimari; idque quam ineffabili cum cruciatu manuum & pedum sic transfixorum, totius corporis neruorum sic contractorum? quam inestimabili nihilominus cum excessu amoris, mansuetudinis, resignationis, zeli maioris nostræ perfectionis, ve in se tam dirè excessus libertate carnis à nobis commissos castigaret, concupiscentiam carnis, & oculorum, & superbiam vitæ, triplicis  
tino

timoris Dei, seruilis, mercenarij, filialis clavis esse configendam; seu cupiditatem opum, honorum, voluptatum per tria religiosa vota penitus abnegandam doceret, gratiamque necessariam impetraret. Atque vt perfectè impleret illud: *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Psal. 31. Compassio, amor, zelus imitandi in amore Crucis & mortificationis.

III. Demùm permittit se sic affixum cruci è terra in altum ab impijs Sathanz ministris inhumaniter sustolli, mox in scrobem satis altè defossam crudeliter deijci, in medio duorum latronum simul crucifixorum, quam inconditum clamore & plausu carnificum, & Iudæorum illi certatim insultantium! quam miserabili cum planctu & gemitu afflictissimæ Matris, & piarum matronarum à longe stantium! quam inconcussa mentis tranquillitate, quam insatiabili plura & diriora patiendi cupiditate, hanc tam acerbam omnium totius corporis compagum concussionem, tam atrocem vulnerum renouationem & ampliationem tolerauit mitissimus Agnus, de quo prædixit Ieremias: *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam?* Ier. 11. Quanta animi demis-

mis-

missione hanc tantam contumeliam, quod velut princeps latronum in medio eorum collocaretur, sustinuit is, qui est caput omnium Electorum, & medium inter SS. Triados personas obtinet locum, æqualis cum Patre & Spiritu sancto maiestatis & gloriæ? O quam luculentum inuictissimæ patientiæ, profundissimæ humilitatis, absolutissimæ resignationis, Deus sic (*cum iniquis reputatus*) imò latronibus sceleratior æstimatus, nobis tam delicatis, tam superbis, tam refractarijs terræ vermiculis præbuit exemplum! Compassio, zelus in his Christum imitandi.

Isa. 53.

*De titulo, & iniurijs à Christo in Cruce toleratis.*

VII.

I. **T**itulū Hebraicè, Græcè, & Latine scriptum (I. N. R. I) frustra renitentibus Iudæis posuit Pilatus super caput eius, vt impleretur illud: *Dicite in gentibus quia Dominus regnavit à ligno* En quanta cura ac sollicitudine æternus Pater filium eò sublimius semper exaltat, quò is se profundius humiliat. Dignatum in stabulo nasci, & in præsepio collocari, concentu curavit Angelico honorari; à

Psal. 95.

passo-

pastoribus & Magis, cœlesti prodigio  
vocatis, adorari; in circumcissione dig-  
gnatum assumere formam filij iræ la-  
be originali infecti; & in baptismo  
formam peccatoris proprijs etiam  
actualibus delictis inquinati, toti  
mundo declaravit, & culpæ genitalis  
omnis prorsus esse immunem per im-  
positionem nominis Iesu, vtpotè Sal-  
uatorem mundi; & culpæ propriæ  
omnis expertem per vocem cœlo de-  
lapsam, vtpotè verum & dilectum  
Filium Dei Nunc insuper idem æter-  
nus Pater eundem dilectum filium  
suum permittentem se accusari, repu-  
tari, iudicari, condemnari, crucifigi  
tanquam populi seductorem perni-  
ciosissimum, homicidarum, latronum,  
impostorum, & malefactorum omnium  
sceleratissimum, regię dignitatis in-  
ualorem ambitiosissimum, diuinitatis  
affectatorem insanissimum & blasphe-  
missimum, hoc gloriosissimo titulo  
omnibus celebrioribus linguis & di-  
uina sua prouidentia per Pilatum  
scripto & cruci imposito toti mundo  
manifestauit esse verè Iesum, id est,  
verum & vnicum mundi Saluatorem,  
mediatorem, Doctorem, legisla-  
torem, à tot sæculis exoptatum: esse  
verè

verè Nazarenum, id est, floridum & sanctum, omnibus virtutibus, gratijs & prærogatiuis eminentissimum: esse verè regem, cuius regnum futurum sit æternum, & quidem Iudæorum, id est, fidelium confitentium Deum, primogenitum Electorum, hominum & Angelorum, verum insuper & naturalem Dei filium, iudicem viuorum, & mortuorum, cui data sit omnis potestas in cælo & in terra. Quam fidelis & liberalis Deus erga humiles, quibus & tantam gratiam & exaltationem liberaliter promittit, & promissam liberalius impertit! Congratulare Christo de tanta gloria, & gratias age Patri pro tanta filij exaltatione, & in humilitate eundem imitare.

II. Christus in cruce pendens, exhibiturus nobis absolutissimum omnimodæ mundi carnisque abnegationis exemplum, permisit vestes suas a militibus diripi, super tunicam inconsutilem, sibi ab amantissima Matre contextam, sortem mitti, ab omnibus propinquis, amicis, discipulis se prorsus desereri, omni que humano solatio destitui, cum omnes noti eius starent à longè, nec præ impudente turba circumfusa propius accedere possent; quàm

quam heroica cum resignatione ad has omnes, & multò acerbiores desolationes, iniuriasq; de manũ amabilissimi Patris acceptandas! quam ardenti cum desiderio eluendi omnes culpas nostras ex inordinato mundi carnisq; affectu cõmitti solitas, prouocandiq; tepiditatem nostram ad strenuam sui imitationem in perfecta abnegatione omnis humani solatij, etiam tempore grauissimarum desolationum & aduersitatum, absolutaque resignatione in manus diuinæ prouidentia! Compassio, zelus in his imitandi.

III. Inter tam diros diurnosq; trinum horarum cruciatus insuper pertulit tam varias grauesq; contumelias blasphemiasq; , à principibus Sacerdotum, Scribis, Senioribus, militibus, alijsq; palam ipsi tanquam impostori, ambitioso, blasphemò, exprobrantibus impotentiam seipsum saluandi, præsumptuosam ambitionem regni, insanam affectationẽ filij Dei. Quanto cum fastu, quanto cõtemptu, quantâ mentis amaritudine, quantâ verborum asperitate, quantâ vultus austeritate, has calumnias identidem vilissimi Sathanæ satellites filio Dei ingererant, nunc superbe insultando, nunc

R

ama-

amarè deridendo, nunc falsè illudendo, nunc caput agitando, alijsq; modis blasphemando, implentes illud:

*Thren. 2.* *Plauserunt super me manibus omnes trans-*  
*euntes per viam, sibilauerunt, & moue-*

*Psal. 108.* *runt caput suum. Et: Ego factus sum op-*  
*probrium illu, viderunt & mouerunt ca-*

*Psal. 215* *pita sua. Et: Omnes videntes me derise-*  
*runt me, locuti sunt labijs, & mouerunt ca-*

*piti?* Quantà æquanimitate, humilitate, mansuetudine, resignatione, has omnes calumnias, sannas, iniurias excepit, & multò his maiores excipere paratus fuit mitissimus Dominus, intuens, non tam eorum, à quibus proficiscebantur, malitiam & rabiem, quàm æterni Patris, eas ad suam Electorumque gloriam permittentis, sanctissimam voluntatem! idque vt nobis sub extremum vitæ agonem, perfectissimæ despicientiæ nostri, tolerantieque calumniarum, omniumque iniuriarum absolutissimum relinqueret, altissimeque imprimeret exemplum, abundantemque imitandi promereretur gratiam ex gratuito maioris nostri profectus spiritualis desiderio. Compassio, Gratitude, zelus imitandi.

Domi.

## Dominica Palmarum.

De ingressu Christi in Ierusalem. I.

Matt. 21. Marc. 11. Luc. 19.

I. **C**Hristus verus agnus, qui tollit peccata mundi, vt agnus typicus quinque diebus ante solennitatem Paschalem domum adduci & præparari solebat, totidem diebus ante immolationem suam urbem Ierosolymitanam ingredi voluit, & quidem non communi more, vt aliàs, sed insolito cum triumpho; non pedes, nec tamen quadriga vectus, nec phalerato equo, sed asello, quem cum Asinâ adduci curarunt, lacernulis Apostolorum instrato insidens, idque ex incenso zelo complendi tandem immutabile decretum æterni Patris, & consummandi opus nostræ Redemptionis, ob has ferè causas: 1. vt ostenderet se spontè, libenter, gaudenter, præparare ad passionem, crucem, mortem amore Patris & humanæ salutis subeundam, & quidem cum desiderijs heroicis plura, probrosiora & diriora patiendi si opus foret,

R 2

foret,

Isa. 25.

foret, ideoque nunc urbem tanto maiore intrare cum gloria, ut paulò post inde educeretur tanto maiore cum ignominia, ut impleretur illud Isaia: *Sicut obstupuerunt supra te multi, sic in gloriam erit inter viros aspectus eius, & forma eius inter filios hominum.* 2. ut declararet separatim vtrumque sexum per asinam & pullum praefiguratum, & vtrumque populum Iudaicum & gentilem, insuper vtramque hominis partem, animam & corpus è diabolica seruitute pretio sanguinis sui in libertatem gratiae & gloriae filiorum Dei vindicare, modò se instar mansuetorum iumentorum duci, regi; sinant. 3. Ut nos ad gloriosam sui imitationem in amore Crucis & opprobriorum prouocaret. 4. Ut peccatores quantumuis ingratos, si resipiscant, in spem erigeret gratiam perditam recuperandi; cum non dedignetur tam mansuetus venire ad Ierosolymitanos, quos sciebat nec amoris flamma emolliendos, nec terrore à scelere concepto deterrendos. Gratitude, Spes, Amor, Zelus imitandi amorem Crucis.

II. Filium tanto humilitatis sensu se in hoc tantillo etiam triumpho sic de-

pri-

primentem, & tanto zelo ad tantum  
 ignominiosissimę mortis opprobrium  
 anhelantem more suo mirificę exalta-  
 turus æternus Pater, puerorum ac tur-  
 barum mentes insolito diuinę lucis  
 radio sic illuminauit, affectusque pe-  
 culiaris influxu sic inflammauit, vt  
 eum verum regem & Messiam in lege  
 promissum, & a Prophetis prænuntia-  
 tum clarę agnoscerent, tantã reueren-  
 tiã & exultatione exciperent, tanto  
 plausu ac triumpho in urbem deduce-  
 rent, tanto mentis tripudio ac pietatis  
 sensu illi acclamarent: *Hosanna, bene-*  
*dictus qui venit in nomine Domini, Bene-*  
*dictum, quod venit regnum Patris nostri*  
*David. Hosanna filio David, pax in cælo,*  
*& gloria in excelsis: æmulantes nimi-*  
*rum Angelos in Natali eius concinen-*  
*tes: Gloria in altissimis Deo, & in terra pax*  
*hominibus bonę voluntatis. Congratu-*  
*latio de gloria Christi, & humilitatis*  
*imitatio.*

Marc. II.

Luc. 19.

III. Pię turbę cum pueris diuinitus  
 excitatę seposito metu Principum Iu-  
 dæorum Christum eiusque assecras  
 execrantium, & Romanorum summã  
 rerum in Iudæa potentium, spretã ca-  
 lumniatione Phariseorum ad raui-  
 reclamantium, summos, quos possunt,

R 3

defe-

deferant illi de monte Oliueti descendenti honores, vestes & frondes transeunti substernendo; cum ramis palmarum & oliuarum illum deducendo; festiuo plausu illi tanquam Regi suo & vero Messiaë intrepidè ac deuotè acclamando, palamque hac omni solennitate protestando illū esse promissum Saluatorem, qui de peccato, morte, inferno, diabolo gloriose sit palmam relaturus, pacem per ramum oliuæ signatum inter Deum & humanum genus conciliaturus, ac tanquam supremus Rex hominum & Angelorum in cœlesti Ierusalem æternū regnaturus. Quanta vis diuinæ gratiæ tam breui tantas animorum conuersiones excitantis? quantum gaudium Christo attulerit piæ ac simplicis turbæ deuotio, quæ illi representabat omnium Electorum olim ad se cognoscendum, colendum, amandumque conuertendorum pietatem, quā corruptus & animam in omnibus, quæ habent, diuino suo seruitio essent consecraturi: insignes palmas & victorias de carnis illecebris, mundi blanditijs, diaboliq̃ue astutijs relaturis; eximias charitatis & misericordiæ operibus.

core.

coronas gloriæ promerituri : æternūque cum Beatis spiritibus sibi acclamaturi : *Sedenti in throno, & Agno benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sacula saculorum!* At quantum eidem inussit dolorem tanta eiusdem turbæ inconstantia! cū prævideret se ab ijs ipsis, qui nunc clamant: *Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, hosanna in excelsis,* post paucos dies auditurum: *Non habemus regem nisi Cæsarem. Tolle, tolle, crucifige eum?* Quanto maiorem attulit eidem tot fidelium feruorum suorum magno feruore statum & studium perfectionis inchoantium, & tam turpiter deficientium in hac turba tam inconstanti præsignata inconstantia, tam subitus & pudendus saltus ex cælo in cœnum, ex folio ad sterquilinum, ex claustro ad sæculum, ex Paradiso in infernum! Feruor constanter proficendi in via tripliei perfectionis, horror inconstantia & tepiditatis.

( ? )

R 4

De

II. De primo & secundo verbo à Christo  
in cruce prolato. Luc. 23.

I. P<sup>A</sup>tris misericordiarum misericor-  
dissimus Filius, cuius natura bo-  
nitas, cuius opus misericordia, inter  
tam miros animæ angores, inter tam  
diros corporis dolores, inter tam hor-  
rendas tot sibi insultantium blasphe-  
mias, immemor tot iniuriarum, me-  
mor miserationum suarum, quæ à sæ-  
culo sunt; conuersus ad Patrem sup-  
plicabundus exclamauit: *Pater dimitte  
illu, non enim sciunt, quid faciunt.*  
Quàm abundè impleuit id, quod Isai-  
as in spiritu præuidens prædixit: *Et  
pro transgressoribus orauit!* quàm lucu-  
lenter inculcauit exemplo, quod do-  
cuerat verbo: *Diligite inimicos vestros,  
& benefacite his, qui oderunt vos: & ora-  
te pro persequentibus & calumniantibus  
vos!* Idque quanto præstiterit affe-  
ctuosius, quam olim Moyses pro po-  
pulo peccante Deum in monte obse-  
crauit, dicens: *Aut dimitte eis hanc no-  
xam, aut dele me de libro tuo quem scripsi-  
sti!* præsertim cum tantam multitudi-  
nem tantorum scelerum, quæ tum ab  
ipsis

Isa. 53.

Matt. 5.

Exod. 32.

ipsis committebantur, tum ab omni-  
 bus & singulis commissa sunt vnquam  
 & ad finem vsque mundi committen-  
 tur; tantam singulorum enormitatem;  
 tantam diuinæ Maieftati illatarum in-  
 iuriarum grauitatem; tantamque æ-  
 ternorum suppliciorum singulis pro  
 mensurâ malitiæ impendentium atro-  
 citatem clarissimè coram cerneret, ve-  
 hementissimeque apprehenderet. **O**  
 quanta abyffus infinitæ misericordiæ  
 Saluatoris nostri non maledicentis ir-  
 risoribus suis instar Noë, & Elisæi;  
 nœ vindictam cum Elia postulantis,  
 sed veniam ijs petentis, culpam exte-  
 nuantis, crassam supinamque igno-  
 rantiam, prout poterat, excusantis!  
 Quanta fiducia omnibus verè pœni-  
 tentibus concipienda ex hac tam effi-  
 caci oratione summi nostri Pontificis  
 & mediatoris, de quo Vas electionis  
 ait: *Qui in diebus carnis sue preces, sup- Heb. 5.*  
 plicationesq; cum clamore valido, & la-  
 crymis offerens exauditus est pro sua reue-  
 rentia. Vel pro intima demissione sua,  
 qua preces obtulit, vel pro infinita di-  
 gnitate personæ offerentis! Filialis fi-  
 ducia, dilectio inimicorum, zelus a-  
 nimarum.

II. Alter latronum (in quorum me-

R 5

dio

dio Dominus crucifixus pendeat, tanquam iudex viuorum & mortuorum inter reprobos à sinistris, & electos à dextris in throno gloriæ confidens) nil motus tanta eius tolerandis calumnijs æquanimitate, tanta erga inimicos illi insultantes charitate, blasphemam eum dicens: *Si tu es Christus, saluum fac te ipsum, & nos*: Alter vero, qui prius forsan similiter blasphemus fuerat, vt nonnulli ex D. Mattheo colligunt, tam inuicta eiusdem patientia obstupefactus, & peculiari gratia præuentus sic socium corripit: *Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es, & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus, hic autem nihil malis gessit?* & ad Christum animo contrito, magna cum humilitate & fiducia con-

*Luc. 17.* uersus ait: *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum.* O inscrutabilis altitudo occultorum, sed iustissimorum iudiciorum Dei, vnum assumentis, alterum relinquentis! quam demissè illa suspicienda, quam reuerenter approbanda, medullitas inge-

*Psal. 36.* minando: *Iustitia tua sicut montes Dei.*  
*Psal. 118.* *Iudicia tua abyssus multa. Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum!* Quam horrenda pœna sic à Deo culpâ sua de-

seri,

feri, & in malo obdurari! quàm inestimabilis gratia ab hac pœna præseruari, atque ad pœnitentiam emolliri! Castus timor Domini, demissa admiratio & veneratio occultorum iudiciorum Dei, gratitudo.

III. Annuit Christus piæ pij latronis petitioni respondens: *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiso.*

O quantum liberalitas benignissimi Saluatoris excedit spem verè pœnitentis peccatoris! si tam liberalem se exhibet erga latronem in fine vitæ seriò se conuertentem, qualem se exhibebit erga fidelem seruum tota vita sibi feruenter constanterque seruientem. Hunc tantum diuinæ misericordiæ & benignitatis excessum intuens, nemo desperet seriò pœnitens, nemo præsumat pœnitentiam differens, nam iuxta Diuum Gregorium: *Qui pœnitenti veniam spondit, peccanti diem crastinum non promisit.* Gratitudo, Amor, pœnitentia matura, feruor concinuus proficiendi in spiritu.

*Horn. 28.*

## III. De tertio verbo Christi. Ioan. 19.

I. **A** Sextâ hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram vsque ad horam nonam (vti prædictum ab Amos. *In illa die occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis*) & quidem adeò insolitæ, terribiles & vniuersales, vt S. Dionysius Areopagita Hierapoli cõspiciens tantum prodigium solis ex oppositu lunæ contra omnem naturæ ordinem eclipsin patientis, dixisse feratur: *aut Deus natura patitur, aut mundi machina dissoluetur.* Quibus prodigiosis tenebris æternus Pater voluit mundo declarari immanitatem sceleris, & mentis cecitatem improbæ gentis, Solem iustitiæ è medio tollentis; summamque innocentiam & charitatem Filij, tantam diram & probrosam mortem spontè oppetentis, sicque excæcatum humanum genus è peccatorum tenebris, & umbra mortis eruentis. Quantum terrorem incusserit improbis hæc tam extraordinaria & horribilis solis obscuratio? quantum solatium attulerit probis, maximè benedictæ Matri, quæ agnoscebat & gaudebat per eam Filij  
sic

Amos 8.

S. Dion.  
Ep ad S.  
Polycarp.

fic contempti, & cum iniquis reputati innocentiam gloriamque mundo propalari. Compassio, congratulatio & gloria Christi.

II. Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius, cum Ioanne & pijs mulieribus, quibus, sensim ob ingruentes illas horrendas tenebras dilabente circumfusa impudentis populi multitudine, facta fuerat propius accedendi potestas. Quàm incredibile talis Mater ex conspectu talis filij sic dilaniati, sic carnificati, sic consputi, ut non esset ei species, neque decor, tot iam ante dirissimis mucronibus transfuerberata, quot illi viderat inflicta vulnera, quot in eum audierat cõiecta scommata, nunc conceperit dolorem, cum illum in cruce tam dirè extensum, inter immanissimos cruciatus cum morte lugentem, tot insuper calumnijs appeti, sanis exhibitari, blasphemijs obrui videret; pro calumniatoribus tam affectuose orantem, & latroni pœnitentiam benignè Paradisum promittentem audiret? quàm, inquam, incredibilem conceperit dolorem, & quidem triplicem: compassionis, compunctionis, commiserationis? *Compassionis cum Filio, cuius cruciatus, contumelias*

lias, & iniurias ob vehementem earum apprehensionem, clarissimam infinitæ dignitatis, innocentæ, sanctitatis & amabilitatis tanti Filij sui, & Dei cognitionem, ardentissimamque eiusdem dilectionem proinde sensit: ac si sibi ipsi fuissent illatæ: *Compunctio* de tam horrendis flagitijs tunc à persecutoribus Filij commissis, iniurijsque diuinæ Maiestatis illatis, quarum enormitatem clarissimè cognoscebat: *Commisserationis* erga eosdem Filij persecutores, quorum cæcitatem, obstinationem, imminensque æternum exitium deplorabat. Quam interim heroicis resignationis, oblationisque Filij, & sui ipsius affectus frequentarit? quanto perfectiores, quam olim Abraham filium Isaacum in eodem loco oblaturus? quam heroica desideria, plures & duriores cruciatus, ipsamque mortem cum Filio, & pro Filio subeundi, quanto ardentiora, quam tot sancti Martyres millies pro Christo mori parati vnquam elicuerint? *Compassio, compunctio, resignatio.*

III Cum vidisset Iesus Matrem  
& discipulum stantem, quem diligebat,

bat, dicit Matri suæ: *Ecce filius tuus.*  
Deinde dicit discipulo: *Ecce Mater  
tua.* Quo affectu intimæ compassi-  
onis & tenerrimi amoris talis filius a-  
mantissimus & obseruantissimus ta-  
lis Marris iam animam acturus, eam  
Ioanni, tanquàm Matrem amandam,  
obseruandam, iuuandamque commi-  
serit, nobisque simul omnibus in Io-  
anne eandem in Patronam, Aduo-  
catam, Matremque fidelissimam af-  
signarit! Et similiter Ioannem, nos-  
que in eo omnes eidem Matri suæ, cen-  
siles curandos maternaque prou-  
dentia fouendos commendarit! Quo  
sensu similiter intimi doloris & tener-  
rimi amoris amantissima Mater hanc  
Filij tam filialem de se, tamque pa-  
ternam de suis discipulis curam vene-  
rabunda acceptarit, idque non ver-  
bis, sed lacrymis testata sit, & quidem  
tantò vberius, quantò clarius flagran-  
tissimum eius inclinatissimumque er-  
ga se suosque animum perspiciebat!

Compasio, Gratitude, Amor  
peculiaris IESU &  
Mariæ.

(:.)

De

IV. De quarto, quinto, & sexto verbo  
Domini. Ioan. 19.

I. **C**IRCA horam nonam clamauit Iesus voce magna: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Voluit vnigenitus Patris misericordiarum, & Dei totius consolationis, gaudium Angelorum, solatium mœstorum, asylum vnicum omnium afflictorum, non solum à suis omnibus deseri, omni humano refrigerio in grauissimis illis tormentis destitui, sed à Patre insuper derelinqui, omneque diuinum solatium parti inferiori, aliàs martyribus, alijsque afflictis impertiri solitum, subtrahi: atque hanc tantam desolationem suam hac piâ & filiali expostulatione mundo propalari. 1. Ut ardens desiderium suum pro nostris excessibus superabundanter satisfaciendi ostenderet, exhauriendo vsque ad fundum calicem amarissimæ passionis: absque admixtione vllius consolationis. 2. Ut nos ad omnis generis desolationes, ariditates & difficultates in studio perfectionis occurrentes, heroica cum resignatione vsque ad mortem ferendis absque vllō  
stipen-

stipendio diuinorum solatiorum exemplo suo animaret, cum seruus non sit maior Domino suo. 3. Ut nobis copiosa auxilia gratiæ ad tam arduam omnis solarij subtractionem æquo lætoque animo ferendam necessaria impetraret. O quàm acerbum fuit Christo sic à Patre deseri, à quo tamen deseri volebat, vt meritò dicere posset:

*In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos: & ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. Ego autem vermis & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis? quāto acerbius fuerit illi à plerisque hominibus tam ingratis, pro quibus tam dira incassum se patipræuidebat, tam nefariè deseri, à quibus deseri minimè volebat, vt de illis iure posset conqueri per Ieremiam:*

*Obstupescite coeli super hoc, & porta eius desolamini vehementer, duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aqua viua; & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, qua continere non valent aquas! Compassio, Gratitude, zelus imitandi Christum in resignatione ad omnes desolationes.*

II. Sciens Iesus, quia omnia consummata sunt, vt consummaretur Scriptura

ra

Psal. 110.

Ierem. 2.

*Iud. 15.  
Psal. 21.*

ra dixit; *Sitio*. Magna fuit sitis corporalis veri Samsonis nostri tam diurnâ inediâ, tam assiduâ ad diuersa loca & tribunalia raptatione, tam varia diraque tenerrimi corporis agitatione, verberatione, excarnificatione, tam copiosa continuaque sanguinis propè vniuersi effusione, multò sanè magis exhausti, quàm illius, qui profligatis Philistæis ad Dominum aiebat: *En sui morior*. Vt verè dicere posset: *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhaesi faucibus meis*. Longè tamen maior fuit sitis spiritualis, & quidem triplex, 1. Obediendi beneplacito Patris in consummando opere redemptionis, adimplendo examussim omnia ab æterno decreta, & tot sæculis per tot figuras & prophetias præsignata, quorum vnum erat, vt aceto potaretur. 2. Patiendi plura, grauiora, ignominiosiora, diuturniora tormenta, imò omnia, quæ vquam tolerata fuissent, & toleranda forent vsque ad finem mundi, si ita Patri placuisset. 3. Ab interitu vindicandi tot reprobos, quos, culpa sua, tam copiosæ redemptionis fructu dolebat nunquam fruituras; atque ad maiorem sanctitatem, gratiam & gloriam pro-

promouendi tot Electos, quorum benè multos tam segniter tantæ gratiæ præuidebat cooperaturos. At quale Filij Dei in tanta siti corporea refrigerium? acerbum acerum non tam refocillans, quam excrucians: quale in siti spirituali maioris perfectionis nostræ? heu quories eor in- gratitudine & tepiditate amarulentum! Compassio, gratitudo, ardor imitandi triplicem zelum Christi, obedientiæ, patiendi, salutis animarum.

III. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: *Consummatum est.* Hoc verbo toti mundo propalari voluit; 1. Se iam omnes figuras, prophetias, umbras antiquæ legis, & promissiones Patribus olim factas impleuisse, ad fidem nostram firmandam. 2. Se finem, ad quem à Patre missus fuerat, assecutum, ut videlicet *consummaretur praua- Dan. 9.*  
*ricatio & finem acciperet peccatum, & deleteretur iniquitas, & adduceretur iustitia sempiterna,* destructo dæmonis & mortis imperio, referato cælo, noua lege gratiæ condita, perfectæ vitæ norma tradita, ad spem nostram erigendam. 3. Se exactissimè omnia perfecisse, quæ in singula vitæ momenta sibi à Patre pro-

pro.

pro salute omnium & singulorum faciēda & perferenda p̄finita fuissent, ad charitatem nostram, zelumq; imitandi inflammandum. Quanto id dixerit cum gaudio de tanta Patris Electorumque gloria emanatura ex consummato hoc tā arduo opere redemptionis! quanto zelo Patri in pluribus ac difficilioribus, si placeret, gratificandi! quanto desiderio exemplo suo nos ad assiduum feruorē spiritus continuandum excitandi; vt in hora mortis, quando finietur tempus merendi; dicere nobis cum gaudio liceret: *Consummatum est: opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Bonum certamen certauī, cursum consummaui.* Gratitude, congratulatio, spes, amor, zelus perfectē Deo per omnia placendi, vsque in finem.

*Ioan. 17.  
2. Tim.*

(:.)

De

De excessu amoris à Christo in vltima  
cœna exhibiti. Ioan. 13. V.

**C**um dilexisset suos qui erant in mundo,  
in finem dilexit eos. Posset hic ex-  
pendi triplex excessus dilectionis  
Christi erga suos discipulos, omnesq;  
electos, seu triplex zelus eximiæ eo-  
rum perfectionis, quem transiturus  
ex hoc mundo, in vltima cœna mani-  
festavit.

I. Quomodo Filius Dei ab æterno  
hunc amoris excessum erga suos futu-  
ros discipulos, electosque omnes &  
singulos exercuerit, offerendo se æter-  
no Patri in assumpta carne paratum ad  
eos purgandos, seu à peccatis & im-  
perfectionibus omnibus tantâ profu-  
sione non solum lacrymarum & sudo-  
ris, sed & pretiosi Sanguinis abluen-  
dos; ad illos illuminandos, seu verbo  
& exemplo ad assiduum solidarum  
virtutum studium excitandos; de-  
mum ad eosdem perficiendos, seu fi-  
ni suo vltimo per ardentissimum a-  
morem, absolutissimamque resigna-  
tionem vniendos: idque ex immen-  
so, infinito, æterno, gratuitoq; amo-  
re ma-

re maioris eorum perfectionis in via, amplioris gratiæ in meta, sublimioris gloriæ in patria. His consideratis Gratitude, Amor, zelus proficiendi in triplici via perfectionis, purus, intensus, constans, insatiabilis excitandus.

II. Quoties, quàm ardentè, constanter, insatiabiliter Filius Dei incarnatus 33. annis, & amplius hunc triplicem zelum frequentarit, immò continuerit, omnia quæ fecit, dixit, passus est, in hunc finem peculiariter referendo, æterno quæ Patri offerendo; ut electi sui omnes & singuli scirent, vellent, possent magnis passibus in stadio perfectionis constanter progredi, & feliciter donum perseverantiæ palmam quæ; æternæ gloriæ consequi, id quæ ex eodem gratiæ dilectionis affectu. Renouandi ijdem affectus.

III. Quam huculenter & eximie in vltima cœna hunc eundem zelum iam iam a suis per mortem diuellendus exercuerit. 1. Lauando pedes discipulorum aqua, mixta, ut credibile est, lacrymis, paratum quæ se offerendo ad mundandas eorum omnium quæ, maximè Electorum, animas, profusione vniuersi sanguinis. 2. Verbo & exem-

& exemplo tam suauiter & efficaciter ijs inculcando assiduam exercitium præcipuarum virtutum, maxime humilitatis & fraternæ charitatis. 3. Scipsum illis intimè vniendo per modum cibi & potionis, sicque inuitando eos ad continuum studium intimæ cum Deo vniõis. Affectus ijdem magis inflammandi cum compunctione de nostra tepiditate.

Vel loco huius repeti posset meditatio de Lotione pedum, aut de institutione Venerabilis Sacramenti supra posita; aut præcipua vtriusque puncta.

*De septimo verbo, & morte Christi.*

VI.

Luc. 23.

1. **C**lamans voce magna Iesus, ait: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* magno clamore vocis, quantumuis esset corpore tam exanguis: at quanto maiore affectu cordis, quanto fiduciæ, amoris & resignationis excessu se in manus Patris tam amabilis sic commendavit tam dilectus Filius! idque, i. Vt ostenderet se non coactè ex infirmitate, & spon-

Iob. 10.

spontè ex voluntate & dignatione sua, pro omnibus mori, vti prædixerat: *Nemo tollit animam meam, sed ego pono eam à meipso.* 2. Vt nobis mortuæ exemplum relinqueret spiritum quoque nostrum in manus Creatoris filiali cum fiducia, dilectione, contritione, & resignatione piè commendandi, omnibus alijs curis longè amandatis. 3. Vt gratiam necessariam ad hunc vltimum vitæ actum, ex quo pendet æternitas, sanctè finiendum nobis impetraret. Gratitude, amor, zelus imitandi.

II. Et hæc dicens, inclinato capite tradidit spiritum. En vt verus ille agnus DEI occisus typicè ab origine mundi, ob tot figuras, sacrificiorum vmbas, & prophetias eius mortem præsignantes, nunc tandem ætatis suæ secundum carnem 33. mese tertio, die 25. Martij tribus ante crepusculum vespertinum horis, secundum probabiliorem sententiam, per mortem crucis pro salute totius mundi re ipsa est immolatus, prout in spiritu præuiderat Daniel: *Post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus.* En vt Filius Dei ab æterno paratus ad Adæ debitum soluendum, nunc morte

Dan. 9.

sua

sua id superabundanter perfoluit, adimplens illud Isaia: *De angustia, & de iudicio sublatus est, abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussit eum!* En ut auctor vitæ, per quem vivunt omnia, primogenitus omnis creaturæ, propter quem facta sunt omnia, verus Deus & homo, dignissimus beata & immortalis vita, mortem temporalem, & quidem tam probrosam finem & dolorosam spontè subjicit! idque 1. Ne homo perduellis æternam mortem promeritus beata & immortalis vita æternum priuaretur, & supplicij æternis omni morte atrocioribus addiceretur. 2. Ut morte sua gratiam vivendi & moriendi in gratia, æternaque secum potiundi in cælo gloria eidem promeretur. 3. Ut exemplo suo ad perseverandū in cruce per constantem zelum perfectæ obedientiæ, eximiæ tolerantia in iuriarum, dolorum, opprobriorum, omnisque generis ærumnarum, absolutæque resignationis in manus diuinæ providentiæ vsque ad mortem, atque ad vitam demum ipsam pro gloria conditoris, si ita diuinæ placeret maiestati, generosè profundendam animaret. Quàm sublimes ac diuinos *Psalm. 118.*

S

for-

fortissimus ille Gigas, cuius egressio à summo cœlo vsque ad summum eius, sub finem huius tam longi & laboriosissimi cursus, atque in ultimo consummationis eius momento exercuerit actus sibi tota vita familiares, humilitatis, gratitudinis, fiducię, amoris, obedientię, resignationis, zeli glorię Patris & humanę salutis! quàm incomprehensibilia desideria Patrem infinite glorificandi, & pro gloria eius omnia, quęcunque fecere, aut passi sunt, faciendę, & patientur omnes Sancti simul in omnem æternitatem, si illi placeret, faciendę & patiendę frequentarit! quàm incenso, quàm diuino affectu totum opus redemptionis iam consummatũ æterno Patri ad sanctissimas intentiones obtulerit? Quàm intensè hoc ultimo vitę momento diuinissima desideria tota vita frequentata perfectissimè renouarit? Compassio gratitudo, amor, zelus in his Christum imitandi.

III. Morienti Creatori condoluerunt & quasi parentarunt creaturę etiam inanimas, non obscura luctus ac mœtoris signa edentes, vti sol obscuratus, terra mota, petra scissæ, velum templi disruptum, monumenta aperta, tum in detestationem tanti sceleris in Conditorum

torem perpetrati, tantæque ingrati-  
 tudinis hominum tam inæstimabile di-  
 vine dignationis beneficium nõ agno-  
 scientium: tum ad declarandos exi-  
 mios fructus ex morte filij Dei in hu-  
 manum genus redundaturos: eiusmodi  
 sunt conuersio obstinatorum cor-  
 diam, confessio sincera peccatorum,  
 resurrectio ad vitam gratiæ, reseratio  
 ad cælum viæ. Quali compassionis  
 sensu erga filium tunc B. Mater lacry-  
 marum profluuiò largius inundarit?  
 Quanto intensior fuerit eius dolor  
 quam Noëmi desertæ inquietis: No-  
 lite me vocare Noemi, sed Mara: id est, a-  
 maram, quia amaritudine valdè replevit  
 me Omnipotens! quam Annæ, Tobiaë fi-  
 lij diuturniorem absentiam deflentis  
 in mediabilibus lacrymis! quam ma-  
 tris Machabæorum septem filios co-  
 ram se trucidari intuentis! quam A-  
 brahæ Isaacum immolare parantis! quã  
 Davidis Absalonem impium tam ama-  
 rè deplorantis! tanto dubio procul  
 fuit intensior, quantò intensior erat  
 eius in filium amor, & quidem triplex,  
 naturalis, ex affectu summo talis Ma-  
 tris erga talem Filium promanans: su-  
 pernaturalis, ex charitate & gratia in-  
 fusa. supereminentiissima procedens:

Ruth. 26.

Tob. 10.

2. Mac. 7.

Gen. 2.

2. Reg. 18.

& acquisitus, ex tam diuturno amabili-  
 lique conuictu mirificè auctus, cum  
 ergò amor B. Matris sit mensura dolo-  
 ris, quam inexcogitabilem doloris sen-  
 sum ex tam atroci tanti filij morte per-  
 ceperit? Et cum infinitam eius nõsset  
 dignitatem, innocentiam, charitatem,  
 quali insuper compunctionis affectu  
 Iudæorum cæcitatem deplorarit, cum  
 cerneret creaturas sensu carentes filio  
 morienti illacrymari, homines ratio-  
 ne præditos, pro quibus pateretur, nõ  
 compati? Compassio, compunctio,  
 gratitudo.

Posset etiam hoc die parasceues tota pas-  
 sio recolere hoc modo. 1. Expendendo Quis,  
 pro quibus, & à quibus, & Quid in a-  
 nima, corpore, fama passus sit; vel po-  
 tius discursus hucusque circa prædictas cir-  
 cumstantias formatos breuissimè ruminan-  
 do, effectusq; compassionis, compunctionis,  
 gratitudinis, amoris, zeli imitandi aliàs  
 prolixius eicitos cum propositis practica re-  
 nouando. 2. Cur, Quomodo, Quo fru-  
 ctu passus sit. 3. Quas virtutes exercue-  
 rit & nobis inculcarit, quas diuinas perfe-  
 ctiones, & quàm luculenter manifestarit,  
 prout latè in proemialibus meditationibus  
 passionis supra explicauimus, cum renoua-  
 tione eorundem affectuum.

De apertione lateris, depositione de Cru- VII.  
ce & sepultura Ioan 19.

I. **V**Nus militum lancea latus eius ape-  
ruit, & continuo exiit sanguis &  
aqua. quanto cum dolore B Matris  
hæc intuentis, & implentis quod dec-  
rat passionum Christi, cuius anima  
magis erat in transaxo corde Filij vbi  
amabat, quàm in corde proprio vbi a-  
nimabat? Voluit verò Christus post  
mortem suam cor suum lancea aperiri  
& transfigi, 1. ad sananda tot tantaq;  
grauia cordium nostrorum vulnera,  
cum ex corde exeant omnia, quæ ho-  
minem coram Deo coinquinant, fla-  
gitia. 2. ad transfigenda corda nostra  
casti Timoris Dei lancea, ne semel  
mūdāta iterum se sinant coinquinari.  
3. ad testandam immensam suam erga  
nos charitatem, ex qua tanta pro no-  
bis fecit & pertulit. 4. ad pandendum  
nobis asylum & refugium tutissimum  
in omnibus tentationum, desolatio-  
num, tribulationumque ingruentibus  
procellis, de quo præclare D. Bernar.  
*Si insurgant aduersum me pralia, si sauiat Serm. 9.  
mundus, si fremat malignus, si ipsa caro in Ps. 50.  
concupiscat aduersus spiritum, in te ego spe-  
rabo: nempe ad omnem tentationem, ad*

omnem tentationem, ad omnem tribulationem, ad omnem denique cuiuscunque modi necessitatem aperta est nobis urbs refugij, sinus matris expansus est: patent viscera misericordie Dei nostri. 5. Ad referandum nobis quintum fontem aquarum saluentium in vitam æternam, supra alios quatuor ante referatos, quibus ablueremur, refocillaremur, & nutrireremur, ad quos Isaias in spiritu exultans nos inuitat: *Haerietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* Compassio, gratitudo, amor, spes, recursus ad Christi vulnera.

Isa. 18.

II. Deposuit de cruce corpus Iesu per Iosephum & Nicodemum, diuino ad id instinctu excitatos in conspectu afflictissimæ Matris, Ioannis, Mariæ Magdalensæ, aliarumque piarum mulierum. Vbi expende quam mira fuerit æterni Patris de gloria filij exaltanda semper solliciti prouidentia, qui occultos hos discipulos ad supremum hunc magistro suo honorem deferendum, præter opinionem omnem, tam efficaciter exstimulauit. quanta illi liberalitate omnia sacro funeri necessaria compararint? quanta reuerentia diuinum corpus deposuerint? quanta pietate id exosculati fuerint? *Quam ineffa-*

effabili doloris pariter & amoris excessu sacrosanctum illud pignus mœstissima Mater sinu exceperit, lacrymis rigarit, osculis disfluuiata sit, intuens animo simul & acerbissimos dolores omnes, quos dilectus viscerum suorum singulis sensibus & membris corporis tolerarat, & intima viscera infinitæ caritatis, ex qua vtrò eos in se suscepit! quàm diuinos tunc affectus compassionis, cōpunctionis, gratitudinis, amoris, resignationis, & similes sibi familiares, & quàm ardentè renouarit? quàm deuotè æterno Patri plagas filij & cruciatus omnes obtulerit? quo pacto tam diuino pignore inspiciendo, amplexando, exosculando fatiari nequirit? Quàm sedulò pijsimam Matrem Magdalena cum sodalibus in his prædictis æmulata fuerit? Quo pietatis, compassionis, compunctionis, gratitudinis, amoris sensu & tibi plage Saluatoris tui, & cruciatus pro te toleranti, meritò forent creberrimè recolendi? Zelus imitandi B. V. in prædictis affectibus ciendis.

III. Diuinum corpus, vbi satisfactum amoris & dolori plangentis Matris, aromatis conditum, sindone inuolutum, delatum ad locum sepulturæ, in-

clusumque est monumento nouo exciso in petra; quanto pietatis sensu, quanto amoris affectu, quanto omnium luctu? Quam feruenter predictos affectus B. Mater cum perenni lacrymarum profuuo innouarit? quam agere cum Magdalena alijque; a sepulcro, ubi dimidium suum depositam erat, auelli potuerit? quam deuote æterno Patri filij corpus breui resuscitandum commendarit? quam pie se in manus paternæ Dei prouidentia ad omnia, ad vitam & mortem resignarit? ac demum nocte ingruente abire coacta, actis submisit pijs illis uiris gratijs, quam diuinos affectus compulsionis, amoris, resignationis quasi de nouo inchoarit, atque insequenti triduo inclusa cubiculo continuarit? quam uia fide, certa fiducia quam incenso desiderio gloriosam Filij resurrectionem expectarit? His expensis predicti affectus renouandi, & perfectissimis B. Matris tunc frequentatis affectibus vniti, per eam Filio offerendi.

Finis Meditationum Secundæ Partis.

TER-